



## **Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum**

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1675**

Titulus. I. De Judicijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

\* \* \*

# LIBER II. DECRETALIUM.

Postquam Libro superiore de Ecclesiasticis Prælatiis, ac Judicibus, eorûmque Officio, & Potestate; item de quibusdam tum præparatoriis Judiciorum, tum similitudinem cum iis habentibus dictum fuit; sequitur nunc, ut de ipsis Judiciis, seu de toto ordine, ac processu judiciario agatur. Hic autem tria principalia membra, seu partes continet, principium, medium, & finem, ut ex communi tradit Greg. Tholosan. partit. Jur. Can. lib. 5. tit. 1. c. 3. n. 5. Maranta de Ordine Judiciorum. par. 6. n. 1. & 2. Principium continet Acta omnia à citatione usque ad litiis contestationem inclusivè, ut libelli oblationem, reconventionem, satisfactionem, exceptionem &c. Medium continet positiones, responsiones, & probationes, aliòsque actus à litiis contestatione exclusivè, usque ad conclusionem in causa inclusivè. Finis consistit in sententia definitiva, eiusque executione. Porro licet citatio, & libelli oblatio sint quædam præparatoria Judicii, cum præcedant litiis contestationem, à qua iudicium propriè, ac strictè incipere dicitur, l. 1. juncta gl. V. Judicio cæpto; C. De judiciis: non tamen prius de iis, quàm de Judiciis agendum fuit, quia scilicet non præcedunt totum ordinem, seu processum judiciarium, is enim incipit à citatione, & durat usque ad sententiam definitivam, de quo hoc 2. Libro agitur: sed potiùs ad illum tanquam partes integrantes spectant, ideòque cum citatio, & libelli oblatio sint partes Judicii saltem latè sumpti, meritò ad tractatum de Judiciis referuntur, ut notat Aug. Beronius ad Rubricam de Judiciis n. 7. & 8. Est autem hic Liber, teste Abbate in præmio eiusdem, omnium aliorum Librorum Juris Canonici difficillimus, & magis utilis.

## TITVLVS I. DE IUDICIIS.

**I.**  
Omen Judicii varias in Jure significationes habet; prout videre est apud Gl. in reg. jur. 10. V. In Judiciis; de R. I. in 6. Hostiens. in summa h. t. n. 1. Marant. de Ordin. judicior. p. 1. n. 1. & seqq. quibus omnibus, duæ sunt potissimum, quæ ad propositum spectant. Prima est, quæ accipitur Judicium pro sententia Judicis dicentis jus inter partes, sive defendantis, quod justum est. Altera est, quæ sumitur Judicium pro toto processu, seu discussione causæ, quæ fit coram Judice inter Actorem, & Reum, ut id, quod justum est, definiatur. Et hæc posterior significatio magis subsistat est, & propria huius loci: nam etiam sententia includitur in Judicio sic accepto, Marant. c. l. n. 4. quamvis prior acceptio primæ sit, cum Judicium à jure dicendo appellatum sit, quoddam quasi iudicium, quia in eo, quod justum est per sententiam

Tomus II.

profertur, à qua sententia Judicis velut à sine totus reliquus processus denominationem sortitur, & Judicium appellatur. Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus: & habet correspondentem etiam Titulum in ff. & Codice.

### SECTIO I. DE IUDICIIS IN GENERE, & personis, quæ stare possunt in iudicio.

#### §. I.

#### Quid, & quotuplex sit Iudicium?

**II.** Assertio 1. Judicium est legitima rei controversæ apud Judicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, & dijudicatio. Ita definitur apud Wesenbec. in pa-

in paratilis. ff. h. t. n. 5. & *Vulceium Iurisprud. Rom. l. 2. c. 1.* Addunt nonnulli: litis finiendæ gratiâ, ut *Cujacius in paratilis. C. h. t. quæ est causa finalis Iudicii.*

Circa quam descriptionem Notandum primò, tres principales personas ad Iudicium constituendum ordinariè requiri, Judicem, Actorem, & Reum, l. *Inter litigantes 62. junct. gl. margin. lit. F. ff. h. t. c. Forum 10. §. In omni infra. de V. S.* Judex est persona, quæ publicâ auctoritate Iudicio præest; & quasi mediatorem agit inter litigantes, ab eo, quod jus dicat, sive rem controversam, secundum Juris præscriptum definiat, Judex appellatus, *cit. c. Forum. §. Index.* Actor ab agendo dicitur, estque is, qui actionem proponit, & prior ad Iudicium provocat, l. *In tribus 13. l. Qui prior 29. ff. h. t.* qui tamen in causis criminalibus propriè accusetur dicitur. l. *Inter. 10. l. Accusatore. 13. ff. de public. judic. l. Si accusatoribus. 4. C. de accus. & in civilibus actor, seu petitor, l. Inter. 62. ff. h. t.* quo nomine etiam venit appellans, nam & is in Iudicio appellationis agit, & primò probare debet, *Hiltrop. in process. judic. p. 1. tit. 13. n. 2.* Reus est, qui ab Actore provocatur, seu in jus vocatur, cuiusque actionem propulsat, & se contra eum in Iudicio defendit, ita dictus, non à reatu, sed à re, de qua disceptatur, & est controversia, *cit. c. Forum. & ibi Gl. P. Reus.* Et quidem in omni Iudicio Reum aliquem esse oportet, sive præsens sit, sive absens, licet is de præsentibus non semper sit certus, sed ex futuro eventu aliquando veniat certificandus, ut quando Judex ex officio generaliter inquirit super notorio crimine ad inveniendum malefactorem, qui adhuc latet, & ignoratur. Actoris verò vices interdum supplet Magistratus, seu Judex, vel potiùs fama præcedens; ut sic in criminalibus causis, quando Judex ex officio procedit per inquisitionem, ubi juris fictione fama loco actoris, seu accusatoris succedit, & intervenit, *c. Qualiter. 17. de accusat. c. Licet. 31. de Simon. Marant. de ord. judic. p. 2. n. 2. & 3.* quamquam etiam dici possit, dum adhuc inquiritur, non esse verè Iudicium: si autem Iudicium dicitur, actorem, seu accusatorem postea constitui, *Vulcei. c. l. §. Et in omni.*

III. Notandum secundò, præter prædictas tres principales personas, quæ regulariter saltem, & secundum communem, & ordinarium processum, in Iudicio intervenire solent, ac debent, sunt alia minus principales, seu accessoria, quæ ad principales illas accedunt, Iudicii commodius expediendi, & controversiæ tractandæ causâ. Et ad Judicem quidem aliqui Consultandi causâ accedunt, ut Assessores, qui sunt Juris Consulti rei controversiæ cognoscendæ, & rectè Iudicandæ Judici in Iudicio assistentes, qui & Consiliarii appellantur, l. *pen. ff. de officio Assessor.* Quidam accedunt Iudicii instruendi, seu expediendi causâ, ut Tabelliones, seu Notarii, & Secretarii, his, quæ in Iudicio proponuntur, scribendis, & annotandis propositi. Item apparitores, executores, nuncii, seu cursores, & viatores, qui ea, quæ ex commissione Judicis fieri debent in Iudicio, litigantibus, aliisve denunciant. Ad litigantes accedunt quidam interveniendo, qui non quidem ab initio controversiam in Iudicium deduxerunt, sed cum jam deducta est, eò quod suâ interfit controversiam illam tractari, vel non tractari, se interponunt, & Actori, vel Reo, vel neutri assistunt: & hi, vel suâ sponte, vel à Judice ad id vocati, ad petitionem alterius partis litigantis, interveniunt. Alii verò

accedunt litigatoribus patrocinando, ut Advocati adjuvantes litigantes consiliis suis, & procuratores, qui litem, seu causam alienam ex mandato domini prosequuntur, *Vulcei. cit. c. 1. §. Atque Principales.* alii denique probationis causâ accedunt, ut testes, *cit. c. Forum. §. Testes.*

IV. Notandum tertio, in quo differant isti quatuor termini, scilicet Iudicium, instantia, lis, & causa; nam Iudicium, ut notat *Marant. de ordin. judic. p. 5. n. 1. & 2.* est tota illa discussio causæ, quæ fit, & durat à citatione usque ad sententiam: Instantia verò dicitur exercitium ipsius Iudicii, sive actualis processus, qui à litis contestatione ad sententiam usque, si feratur, sin minus, ad triennium usque, si causa sit civilis, vel biennium, si sit criminalis, protrahitur, *juxta l. Properandum 13. in princ. C. h. t.* sive Instantia nihil est aliud, quam exercitium actionis à litis contestatione usque ad latam sententiam definitivam certo tempore coarctatum, ut ex Alciato describit *Asinius in praxi judic. c. 3. n. 3.* Lis est nomen magis generale, nam quandoque ponitur pro instantia causæ, ut in *cit. l. Properandum.* quandoque ponitur pro ipsa causa deducta in Iudicium, ut in *l. Nulla. 23. C. de procurat. & l. Litis. 36. ff. de V. S.* Causa propriè dicitur ipsa controversia, quæ in Iudicium deducitur, adeòque non differt à quæstione, sive controversiâ, nisi quod causâ propriè non dicitur, nisi in Iudicio, sive ante, sive post litem contestatam: quæstio verò, & controversia dicitur in Iudicio, & extra Iudicium, & sic potest esse sine lite, *Marant. cit. p. 5. n. 63. 66. & 68.* Quæstio autem omnis, de qua in Iudicio disceptatur, vel in facto, vel in jure consistit: quæstio facti est, cum de facto, de quo fortè nondum liquet, vel si de eo constet, de eius tamen circumstantiis queritur, & lis est: puta, quis fecerit, quomodo, quo loco, quo tempore, quibus instrumentis &c. Quæstio juris est de facti merito, quod in eo consistit, ut jus facti rectè applicetur; ut si queratur, quid de proposito facto leges, juræque constituerint: sive, rectè, & jure factum sit, fieri potuerit, vel non: ut si v. g. constet, Titium occidisse Caium, & queratur, utrum jure occiderit, an non, & quâ pœnâ afficiendus sit? *Emeric. à Rosbach in pract. civil. tit. 1. de judic. n. 43. & seqq.*

V. Assertio 2. Judiciorum variæ divissiones, à causa efficiente, materia, forma, & sine desumptæ, prout fusè persequitur *Marant. de ordin. judic. part. 4. principali.* nam Primò, ex diversa persona judicantium, aliud est Iudicium Ecclesiasticum, aliud seculare. Illud est, quod agitur coram Judice Ecclesiastico, si videlicet lis sit de rebus, seu causis Ecclesiasticis, vel si sit inter personas Ecclesiasticas, quæ coram Judice Ecclesiastico ordinariè conveniri debent, etiam si actor sit laicus, quia actor forum Rei sequi debet, ut infra dicitur. Iudicium verò seculare est, quod coram Judice seculari instituitur, si scilicet lis sit de re non Ecclesiastica, sed seculari, & inter laicos, vel saltem si reus sit laicus. Iudicium Ecclesiasticum à re, quæ in Iudicium deducitur, subdividitur in spirituale, & temporale. Illud est, quando lis est de re aliqua spirituali, nempe de matrimonio, beneficiis, decimis &c. vel de re spiritualibus annexâ; ut de jure patronatus. Iudicium temporale est, cum litigatur de re temporali, & profanâ, ut de fundo, equo, pecunia, vel simili, sed inter personas Ecclesiasticas:

nam si de re temporali inter laicos sit contentio, ea ad iudicium merè seculare pertinet. Rursum iudicium Ecclesiasticum, aliud est civile, in quo agitur de causis Ecclesiasticis civilibus, iisque vel spiritualibus, vel merè temporalibus: aliud est criminale, in quo agitur de criminibus Ecclesiasticis, ut de hæresi, schismate, simonia, sacrilegio &c. *Marant. cit. p. 4. dist. 11. n. 2. & dist. 13. n. 1. & 2.* de qua divisione plura infra.

VI. Secundò, ex diversitate materie dividitur iudicium in petitorium, & possessorium. Petitorium est, in quo de rei proprietate est quæstio, id est, in quo disceptatur super rei dominio, vel quasi dominio, vel super iure aliquo in re, vel ad rem competente, puta, iure pignoris, servitutis, hæreditatis &c. petitq; actor, se rei controversæ declarari dominum, vel quasi dominum, aut sibi jus in re, vel ad rem competere, ut si res vindicetur, hereditas petatur, actio empiri, depositi, commodati, vel alia similis realis, aut personalis ad rem actio intentetur. Possessorium iudicium est, in quo non de proprietate, vel dominio, cuiusnam res sit, sed de sola possessione, vel quasi possessione contenditur, sive adipiscendâ, sive retinendâ, sive recuperandâ, cum scilicet actor tantum petit, vel ut adipiscatur possessionem, quam antea nunquam habuit, vel ut retineat possessionem rei quietam, nec in ea turbetur, vel ut recuperet possessionem amissam. *Marant. cit. p. 4. dist. 7. n. 1. & 2. Hiltrop. in process. judic. p. 1. tit. 4. n. 73. & seqq.*

VII. Terriò, ex diversitate formæ, seu ratione diversimodè procedendi, dividitur iudicium in plenum, seu ordinarium, & solemne, & in summarium, seu extraordinarium. Iudicium ordinarium est, in quo ordinariè, ac solemniter proceditur, sive de causâ cognoscitur, servatò ordine juris: videlicet cum Reo citato, libellus, sive intentio Actoris in scripto editur, & offertur Judici: deinde litis sit contestatio, juramentum calumniæ præstatur, si id petatur: postea testes, aliæque probationes recipiuntur, & publicantur, in causâ concluditur, denique sententia a iudice sedente pro Tribunali in scripto profertur, & postmodò executioni mandatur, nisi ea per appellationem, vel restitutionem in integrum, vel supplicationem suspendatur, vel rescindatur, vel nulla declaratur: qui ordo, seu solemnitates iudicii, si non observentur, iudicium est irritum, de quibus agitur in l. 3. *de edendo. Auth. Offeratur. C. de lit. contest. l. Prolat. c. C. de sentent. & interloc. judic. c. Quoniam. 11.* de probat. & nos in pluribus Titulis infra agemus.

Iudicium summarium, seu extraordinarium est, in quo proceditur simpliciter, vel summarîè, & de plano sine strepitu, & forma solemnè iudicii, solâ facti veritate inspectâ. *Marant. cit. p. 4. dist. 9. n. 1. Hiltrop. c. l. n. 38. & 45. & seqq.* de quo plura infra h. t. dicentur.

Alias iudicium ordinarium dicitur, quod coram iudice ordinario instituitur: & extraordinarium, seu delegatum, quod coram iudice delegato. *c. Quoniam. 11. de probat. gl. V. Extraordinario*, id est, *delegato. de probat. Marant. cit. dist. 5. n. 1.* sicut etiam extraordinarium iudicium dicitur, in quo iudex procedit ex officio, per modum inquisitionis, vel denunciationis, secundum quod loquitur: vel quando generaliter imploratur officium iudicis in locum deficientis actionis: vel in quo agitur de tali crimine, pro quo venit imponenda pœna arbitraria, seu extraordinaria. *Marant. p. 4. dist. 10.*

Tomus II.

n. 3. & 4. Contrà verò iudicium ordinarium etiam dicitur, in quo agitur de causâ civili, vel criminali, per viam competentis actionis, vel accusationis, vel in quâ certâ pœna crimini lege, aut statuto irrogatur, puta in simplum, duplum, quadruplum &c. *l. fin. ff. de privat. delict. Marant. c. l. n. 1.*

VIII. Quartò dividitur iudicium ex diversitate finis, circa quem versatur, in civile, criminale, & mixtum ex utroque. Civile iudicium est, in quo disceptatur de causâ civili, & civiliter agitur, sive principaliter in iudicio ad commodum privatum actoris, quando scilicet quis prosequitur, quod suâ interest, vel quia id, quod petitur, est res ipsius propria, vel ipsi debita: idque vel ex contractu, vel ex delicto, ideòque agit ad pœnam sibi applicandam. Criminale iudicium est, in quo disceptatur causâ criminalis, sive ex crimine agitur ad commodum publicum, seu ad vindictam, aut pœnam publicam, eamque vel corporalem, vel pecuniariam, sed sisco applicandam: quò etiam pertinet pœna privationis officii, vel dignitatis. Mixtum iudicium est, quod participat de civili, & criminali, in quo scilicet de crimine aliquo agitur, & civiliter ad interesse partis, vel ad pœnam actori applicandam, & simul criminaliter ad pœnam sisco applicandam, seu ad vindictam publicam agitur. *Marant. de ordin. judic. p. 4. dist. 1. n. 1. & 2. & 73. Jul. Clarus in pract. crimin. in §. fin. q. 1. n. 1.* ubi ait, hanc opinionem esse communem, & veram, nec ab illa recedendum cõsultendo, aut iudicando.

IX. Ad intelligendam hanc divisionem notandum primò, duo esse genera criminum: nam quædam sunt, per quæ læditur publica iustitia tantum, sine injuria, aut læsione alterius personæ privatæ; ut est crimen hæresis, simoniæ, blasphemiæ &c. ex quibus una tantum actio, seu potius accusatio oritur, quæ sit ad vindictam publicam iustitiæ, quia cum non interveniat offensio, seu læsio alicuius personæ particularis, non potest alicui competere actio ad interesse. Alia sunt crimina, seu delicta, per quæ offenditur non tantum publica iustitia, sed etiam infertur injuria, vel damnum personæ particulari, ut sunt homicidium, incendium, furtum &c. Et ex his duplex oritur actio, una, quæ tendit ad publicam vindictam, alia, quæ tendit ad resarciendum damnum, seu interesse partis offensæ, aut læsæ. *Clar. c. l. §. Ego rament.*

Notandum secundò, interdum injuriam inferri absque ullo damno, ut si quis hominem per contemptum spurium appellet, nemine alio audiente: & hoc casu is, qui injuriam sine damno intulit, ad nullam offensionem restitutionem, aut satisfactiõnem aliam, in foro conscientiæ, & ante iudicis sententiam obligatur, nisi ut animum offensi sibi conciliet, v.g. veniam petendo, cum damnum nullum ei propriè intulerit. Interdum verò præter injuriam, infertur etiam damnum alicui, vel in corpore, ut fit in injusta hominis occisione, aut mutilatione: vel in fama, ac honore, ut fit in detractione absentis factâ, vel contumeliâ præsentis coram aliis irrogatâ: vel denique in bonis fortunæ, ut fit in rapina, aut furto. Jam ergo ei, qui injuriam passus fuit, sive in persona sua, sive in persona sibi coniuncta, & ad se pertinente, nempe pater in filio, maritus in uxore, Ptolatus in Religioso &c. duplex actio injuriarum competit, quarum utraque pœnalis est: una civilis, quæ tendit ad pœnam applicandam actori, quanti is in-

is injuriam æstimârit, v.g. quoddam maluerit amississe centum aureos, quàm hanc injuriam sustinuisse, ubi tamen accedere debet Judicis taxatio, seu moderatio, ne actor nimium injuriam æstimando, ob affectionem excedat. *l. In actionibus. §. ff. In litem jurando. §. In summa. Institut. de injur.* Altera verò actio injuriarum est criminalis, quæ tendit ad publicam pœnam, sive lege statutam, sive Judicis arbitrio definiendam. Datur autem optio injuriam passio, utram harum actionum instituire velit, sed unâ earum electâ, altera ipso jure tollitur, cum utraque ad pœnam tendat, *l. unic. C. Quando civil. act. crimin. præjud. l. Quod Senatusconsultum. 6. ff. de injur. Laym. lib. 3. Theol. mor. tract. 6. c. 1. num. 4.*

X. Notandum tertio, præter dictam duplicem actionem pœnalem, competit ei, qui injuriam cum damno junctam passus est, alia actio merè civilis, seu rei persecutoria, quæ ad damni injustè illati, v.g. per rapinam, percussionem &c. compensationem tendit: Et hanc actionem is, qui per injuriam læsus est, instituire potest, etiamsi antè actione injuriarum, sive civiliter ad pœnam sibi applicandam, sive criminaliter ad pœnam, & vindictam egerit, quia actio merè civilis, sive rei persecutoria per actionem pœnalem non tollitur. *l. 2. ff. de vi bon. rapt. & cit. l. unic. C. d. t. Vel etiamsi injuriam læsus remisit, quandoquidem condonatâ pœnâ, seu vindictâ, non censetur condonata compensatio damni, aut restitutio rei injustè ablata, quæ adhuc facienda est. Laym. c. l. n. 5.* Porro actio hæc merè civilis, sive rei persecutoria durat annis 30. transitque ad heredes injuriam passi, & contra heredes injuriam inferentis competit, quia per illam actor prosequitur damni injustè illati compensationem, adeoque id, quod sibi ex justitia commutativa debitum est, non minus, quàm ex contractu emptionis, mutui &c. At verò actio civilis injuriarum, quæ ad pœnam parti, seu actori applicandam tendit, ultra annum non durat. *l. Si non convicij §. C. de injur. nec ad heredes læsi transit, nec contra heredes lædentis, ante litem contestationem. l. Injuriarum. 13. in princ. ff. de injur. §. Non autem Institut. de perpet. & tempor. act.* nam cum hæc actio pœnalis sit, sicut ipsum crimen injuriæ personale est, ita & pœna inde resultans personalis esse censetur: sed post litem contestatam, transit in heredem, & contra heredem, *cit. l. Injuriarum; & §. Pœnales autem Institut. dict. tit.* quia in judicio, quod propriè incipit à litem contestatione, quasi contrahitur. Cum autem hæc actio pœnam persequatur, & vindictam, requiritur ad illam sententia Judicis condemnatoria, ita, ut antequam hæc lata sit, pœna exigi non possit, ut ex communi docet *Laym. c. l.*

Notandum quartò, interdum damnum alteri inferitur, cum injuriæ, sive injustitiæ peccato, si nimirum concurrat nocendi propositum, seu voluntas, eaque vel directâ, & formalis, & dolus censetur; vel indirectâ, ac virtualis, & est culpa Theologica. His casibus non solum in foro interno conscientie, tenetur damnum inferens, sed etiam in foro externo contra illum actio datur ad refarciendum damnum, ut constat ex *tit. ff. ad leg. Aquil. & Institut. eod.* Interdum verò damnum inferitur, absque injuriæ peccato: & tunc iterum distinguitur; vel enim damnum inferitur omnino casu, & sine omni culpa: cum nulla actio, seu in foro conscientie, seu externo datur, *§. Ac ne is*

quidem. *Instit. de leg. Aquil.* Vel damnum inferitur, interveniente culpâ, sive negligentia civili tantum, ut si quis trabem è tecto dejiciendo, hominem transeuntem lædat, non præclamans, quia in mentem ipsi non venerat de periculo cogitare, talis in foro externo ad damnum illarum refarciendum obligatur ex lege Aquilia, sive ea culpa lata sit, sive levis, sive levissima, *l. In lege. 44. ff. ad leg. Aquil.* Et hæc actio etiam heredi damnum passi competit, sed non contra heredem damnum inferentis, nisi ad illum quidpiam pervenerit, sive ex damno illato locupletior factus sit, quia cum sit pœnalis actio, maleficij, aut quasi maleficij, auctorem tantum insequitur. *l. Inde Neratius. 23. §. Hanc actionem. ff. d. t. §. Non autem. Institut. de perpet. & tempor. act. Laym. c. l. n. 6.* At verò in foro conscientie, qui damnum intulit, sine culpa Theologica, ante Judicis condemnationem, ad nihilum obligatur, cum talis damnificatio nullo modo voluntaria fuerit. *Laym. lib. 3. tit. 3. p. 1. c. 6. n. 2. & alii apud ipsum cit.*

XI. Porro judicium criminale subdividitur in Capitale, & non Capitale. Capitale est, in quo agitur de crimine capitali, seu pro quo imponenda est pœna capitalis, quæ scilicet inferit mortem naturalem, vel inducit servitutem, seu privat libertatem, ut cum quis damnatur ad metallum: vel quæ admittit jus civitatis, ut cum quis deportatur in exilium. *l. 2. in princ. ff. de pœnis.* Non capitale judicium est, in quo non irrogatur aliqua ex prædictis tribus pœnis, sed pœna est pecuniaria, vel coercitio aliqua corporalis, *d. l. 2. in fine. Marant. de ord. jud. p. 4. dis. 2. n. 1. & 4.* Rursum judicium criminale aliud est publicum, in quo agitur de crimine publico, cuius accusatio cuilibet de populo competit. *l. 1. Institut. de publ. judic.* Aliud privatum, in quo agitur de crimine privato, cuius accusatio tantum ad læsum pertinet. *tit. tit. ff. de privat. delict. ut sunt furtum, injuria, damnum &c.*

XII. Quintò, ratione quantitatis rerum deductarum in judicium, aliud est judicium universale, cum petitur universum jus totius alicuius patrimonij, ut bonorum possessio, petitio hereditatis, vel dotis. Aliud generale, quando non petitur in judicio jus universum, sed tantum quoddam genus ex universali illo jure plura capita sub se continens, ut in actione pro socio, tutelâ, negotiorum gestorum, & similibus. Aliud singulare, seu particulare, in quo una tantum res petitur, ut in rei vindicatione, actione ex empto, vel ex deposito &c. *Marant. cit. p. 4. dis. 4. num. 1. & 2.* Rursum aliud est judicium commune, sive duplex, in quo uterque litigantium est actor, & reus, ut in judicio familie heriscundæ, communi dividendo, & finium regundorum, *l. In tribus 13. §. Duplex. ff. h. t.* Aliud simplex, in quo unus subit vicem actoris, alter vicem Rei. *Hiltrop. cit. tit. 4. n. 69. & duobus seqq.* Plures divisiones judiciorum minoris momenti videri possunt apud *Marant. cit. p. 4. princ.*

## §. II.

### Quinam in Iudicio agere, vel conveniri possunt, vel non possunt?

Generaliter loquendo, qui legitimam personam standi in judicio habent, ij agere, & conveniri possunt:

nam: qui verò eam non habent, arcentur à judiciis, de quibus in specie hoc, & §. seqq. agemus.

XIII. Queritur primò, an pupillus, vel minor XXV. annis possit agere, & conveniri in iudicio? Resp. pupillus, sine tutoris auctoritate, in iudicio agere, vel conveniri non potest. l. 1. & 2. C. Qui legit. pers. stand. in iudic. &c. debet igitur actio in iudicio institui, vel ab ipso tutore pupilli, vel ab hoc auctoritate tutoris. l. 1. & 2. ff. de admin. tut. Gail. l. 2. obs. r. c. 8. n. 8. si tamen pupillus infans sit, id est, infra legitimam ætatis annum, vel absens, tunc solus tutor agendo, & defendendo iudicium suscipit. l. 1. §. 2. in fine, ff. d. r. Similiter & minor XXV. annis in iudicio legitimam personam standi non habet, nisi ei curator datus sit, seu generalis, seu specialis ad litem. l. 2. C. d. r. In universis 11. & ibi Gl. in casu. C. Qui dare tut. vel curat. poss. idque tam in causis civilibus, quam criminalibus. l. Clarum 4. C. de auctor. prestand. Gail. cit. obs. n. 1. Et licet aliàs minori invito ad negotia, & contractus Curator non detur, ad litem tamen etiam invito dandus est. §. Item invito. Instit. de curator. Qui litem finitã curator esse definit. §. fin. Instit. de auctor. tut. Porro ad eò necessarius est Curator ad litem, ut sententia lata contra pupillum, vel minorem indefensum, & non habentem tutorem, vel curatorem nulla sit, l. Acta 45. in fine, l. Contra 54. ff. de re iudic. At verò pro pupillo, vel minore non habente tutorem, vel curatorem sententia lata valet, quia minoribus ætas in damnis subvenire, non in rebus prosperè gestis obesse consuevit. l. Non eò minus. 14. C. de procurat. quod enim favore alicuius introductum est, non debet in eius odium converti, l. 6. C. de legib.

XIV. Excipitur primò, nisi minor 25. annis, sed qui 20. annos implevit, veniam ætatis impetraverit, tum enim etiam sine curatore in iudicio agere, & conveniri potest, l. 2. C. de his, qui ven. ætat. &c. cit. l. 11. & ibi Gl. V. Gratia. C. Qui dare tut. vel curat. &c.

Excipitur secundò, quòd pupillus, & minor 25. annis iudicium possessorium intentare potest, sine tutore, vel curatore, quando agitur de recuperanda, vel retinenda possessione, l. fin. junct. Gl. V. Per quamcunque. C. Qui legit. pers. standi. &c.

Excipitur tertio, quòd minor 25. annis, sed pubes, qui XIV. annum ætatis complevit, in causis beneficialibus, aliisque spiritualibus, atque his connexis, per se, vel per procuratorem agere, & respondere in iudicio potest, prout habetur statutum in c. Si eorum 3. & ult. in princ. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. ita rescribit: Si quis annum XIV. suæ ætatis peregerit (si mas sit, vel XII. si mulier, Gl. hic. V. XIV.) in beneficialibus, & aliis causis spiritualibus (ut in matrimonio, causâ decimarum, vel usurariâ, & aliis similibus causis, Franc. hic n. 4.) nec non & dependentibus ab eisdem, per se, vel per procuratorem (quem constituere voluerit) perinde, ac si maior XXV. annis esset, ad agendum, & defendendum admitti debet.

Si verò quis infra XIV. annum existat, per se agere, vel se defendere, & respondere super causis spiritualibus in iudicio non potest, sed Episcopus, vel Officialis eius Curatorem ipsi ad lites super huiusmodi causis dare debet: vel ipsemet impubes, modò maior infante sit, cum Auctoritate Episcopi, vel Officialis eius, procuratorem ad eas deputare debet. Sed & delegatus Sedis Aposto-

lica, & subdelegatus ab eodem potest impuberi, si non habeat curatorem (fortè generaliter, vel specialiter ab Ordinario datum, Gl. hic. V. Curatorem.) dare curatorem, vel auctoritatem constituendi procuratorem (si impubes sit maior septennio) quoad illas causas spirituales, seu lites tantum, quæ coram delegato, vel eius subdelegato fuerint ventilandæ, prout habetur in cit. c. ult. §. Si verò. h. t. in 6.

XV. Pro explicatione huius c. Notandum primò, Clericus minor XXV. annis, sed pubes, sive qui XIV. annum complevit, v.g. alicuius Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatae Canonicus, potest in causis beneficialibus, & aliis spiritualibus per se ipsum agere, & respondere in iudicio, quia pubes in huiusmodi causis censetur maior XXV. annis, & legitimam personam standi in iudicio habet: & per consequens sicut per se, ita etiam potest per alium agere, vel respondere, & procuratorem pro arbitrio constituere, ex generali regula tradita ab Ancharano hic not. 3. quòd quando minor XXV. annis potest per se agere in iudicio, semper etiam potest constituere procuratorem, per quem agat, vel respondeat, nec requiritur auctoritas tutoris, vel curatoris. Et quidem non tantum potest talis minor natu agere, vel respondere, si lis sit super beneficio, v.g. sed etiam super dependentibus, seu connexis cum illo, scilicet de rebus beneficialibus, & annexo iure patronatus, ac similibus: quia quòd est iure dispositum in causa principali, censetur etiam dispositum in dependentibus ab illa, sive connexis cum illa, nam hæc velut accessoria assumunt naturam principalis, eamque sequuntur, Anchar. hic not. 2. & Franc. n. 3. Inter causas autem dependentes à causa spirituali, censetur etiam dos, quippe quæ dependet à matrimonio, eique connexa est, ideòque etiam circa illam minor XXV. annis agere potest in iudicio, Gl. in cit. c. ult. V. Dependentibus. Et hinc quamvis iurisdicctio delegati non extendatur, nisi ad expressã in rescripto, c. P. & G. 40. de offic. deleg. delegatus tamen ad causam matrimonii, delegatus etiam censetur ad causam dotis, etiamsi id in rescripto non exprimat, ita ut cognoscere possit non tantum de causa principali sed etiam de accessoriis, & ab eo dependentibus, Franc. hic n. 4.

Porro ratio, cur Clerici minores XXV. annis habeant legitimam personam standi in iudicio in causis beneficialibus, & spiritualibus, non autem in rebus propriis, & patrimonialibus; ratio, inquam, est, quia hoc ipso, quòd Jus approbet tales minores, ut sint capaces beneficiorum, & aliarum rerum spiritualium, & possint eas tractare, & administrare extra iudicium, censetur etiam habiles redditi, ut possint de illis litigare in iudicio per se, vel per alios, Franc. hic n. 6. Si tamen talis minor natu, sed pubes in iudicio læsus sit, petere potest restitutionem in integrum, quia minor in iis, quæ agit ut maior, læsus restituitur, ut docet Gl. communiter recepta in l. unic. C. Si de momentan. possess. V. Reformationem; Anchar. hic not. 3. & Franc. n. 6. in fine. alioqui enim privilegium ei concessum, in eius damnum redundaret.

Notandum secundò, non tantum Clericus minor XXV. annis, maior tamen XIV. annis, sed etiam laicus minor natu, sed pubes, in iudicio solus agere, & respondere potest in causis spiritualibus sine curatore, v.g. si jus patronatus, vel jus decimarum Clericalium,

calium, & fructus earum, vel jus electionis ex concessione Ecclesie ei competat, ut docet *Rota Rom. in novis decisionibus. tit. de judic. decis. 2. alias 46. quia text. in cit. c. ult. h. t. in 6. generaliter, & distincte de minore XXV. annis, sed pubere loquitur, quod admitti debeat in causis spiritualibus ad agendum, & respondendum in iudicio, non distinguendo, num sit Clericus, an laicus? Ob quam causam etiam mulier minor XXV. annis in causa matrimonii, quippe spirituali, per procuratorem in iudicio agere potest, quia censetur esse maior, modo pubes sit, sive XII. annum exegerit, c. Ex parte 14. & ibi gl. V. *Quamvis minor. de ressit. spoliat.**

XVI. Notandum tertio, quamvis impubes ex dispositione Papae possit obtinere beneficium Ecclesiasticum, vel etiam de Jure communi, si XIV. annum inchoaverit, etsi non compleverit, non tamen potest in iudicio super iuribus beneficii litigare, sine curatore ad litem, ut colligitur ex *cit. c. ult. in princ. h. t. in 6. quia, quamvis Papa dispensarit cum illo in aetate requisita ad beneficium, non tamen censetur dispensasse circa liberam eius administrationem, ut per se possit super illo agere in iudicio, sine curatore, Anchar. in cit. c. ult. not. 4. Franc. *ibid. n. 2.**

Notandum quarto, si impubes, seu minor XIV. annis in causa beneficii, vel alia Ecclesiastica, seu spirituali litiget, curator ei ad litem, non a seculari, sed Ecclesiastico Iudice dari debet, videlicet ab Episcopo proprio, seu Ordinario loci, vel eius Officiali, seu Vicario generali: neque tutor impuberis, sive legitimus sit, sive testamentarius, sive dativus, seu datus a Magistratu, potest se immiscere in causis Ecclesiasticis pupilli, eique connexis, non enim de patrimonialibus rebus tractatur, gl. in *cit. c. ult. V. Eiusdem. Anchar. *ibid. not. 6. & Franc. S. Si vero. n. 6.* Quae causa est, cur in Jure Canonico non extent Tituli De Tutoribus, & Curatoribus, sive de tutela & cura, quia potestas tutorum, & curatorum generalium ad negotiorum Ecclesiasticorum administrationem non extenditur, ut notat *Ancharan. c. l.* Similiter si agatur de ingressu Religionis, vel susceptione Ordinis Clericalis, tutor non potest se interponere, sed impuberi Iudex Ecclesiasticus curatorem ad hanc causam dare debet, vel si impubes maior sit infante, ipsemet cum auctoritate Iudicis Ecclesiastici procuratorem deputare potest, ut constat ex *cit. c. ult. S. Si vero. Franc. *ibid. n. 5.***

XVII. Notandum quinto, non tantum Iudex Ordinaris, sed etiam delegatus Papae, vel ab eo subdelegatus, impuberi dare potest curatorem ad litem, quoad eas causas tantum, quae ipsis delegatae sunt, vel auctoritatem constituendi procuratorem praestare ipsi impuberi, dummodo maior sit septennio, & curatorem generaliter, vel specialiter ab Ordinario datum non habeat, *cit. c. ult. S. Delegatus. h. t. in 6. & ibi gl. V. Curatorem.* Ratio est, quia delegata alicui causa, omnia delegata censentur, sine quibus causa expediri non potest, gl. *ibid. V. Ventilanda.* adeoque etiam deputatio talis curatoris, vel procuratoris ad causam expectandam necessarii, ei commissa censetur. Potest autem delegatus solum dare curatorem ad litem coram eo motam, & ille quoad dandum curatorem ad litem, vel auctoritatem praestandam impuberi, ut ipse constituat procuratorem, est Iudex competens, coram quo causa tractanda est. Idemque est dicendum de

subdelegato a delegato Papae, quia subdelegatus in causa sibi commissa eandem potestatem habet, quam ipse delegatus, *Franc. in cit. c. ult. S. Delegatus. n. 1. & 2.* Quin imò etiam probabile est, delegatum a Legato a Latere, vel ab inferiore Ordinario, v. g. Episcopo, impuberi in causa spirituali curatorem ad litem dare posse, ut docet *Franc. c. l. n. 3. per text. in l. fin. S. Sed etsi quis. C. de administ. tut.* ubi generaliter, & indistincte dicitur, quòd quilibet Iudex, coram quo causa vertitur, possit ei, qui legitimam personam standi in iudicio non habet, dare curatorem ad litem coram eo agendam.

XVIII. Quæritur secundò, an filiusfamilias sub patria potestate constitutus possit agere, & conveniri in iudicio? Resp. Filiusfamilias licet major sit XXV. annis, non potest suo nomine, sive in causa propria, regulariter in iudicio agere, aut respondere, sine patris consensu, ut habetur in *l. ult. in princ. ibi. Ne iudicium sine patris voluntate videatur consistere. C. de bonis, que liber. & ibi Gl. margin. lit. A.* ubi ita dicitur, quòd filius in bonis maternis, in quibus pater usufructum habet, sine illius consensu, agere non possit, & constat etiam ex *cit. c. ult. S. fin. h. t. in 6.* ita ut iudicium nullum sit, & irritum, *Durand. in spec. l. 1. p. 2. tit. de actore S. 1. n. 22.* Sufficit tamen, si pater generaliter consentiat, seu generale mandatum det filiofamilias agendi, & defendendi se in omnibus causis, & contra quemlibet, *Durand. c. l. n. 40.*

Dixi primò: Sui nomine; nam alieno nomine, seu ut Procurator in iudicio, filiusfamilias agere, & respondere potest, etiam sine consensu patris, modo maior sit 25. annis, ut constat ex *c. Qui generaliter. S. Nedum; & S. fin. de Procurat. in 6. & dictum l. 1. tit. 3. n. 20.*

Dixi secundò: Regulariter; nam in quibusdam casibus etiam per se, & suo nomine filiusfamilias sine consensu patris, agere, & respondere potest in iudicio, ut tradit gl. in *cit. c. ult. S. fin. V. Regulariter h. t. in 6.* Videlicet Primò, si lis sit de bonis Castrensis, vel quasi Castrensis, *l. Miles. 4. S. 1. ff. de Castrens. pecul.* Quia horum administrationem plenissimam habet, & eorum comparatione instat patrisfamilias esse censetur, *l. 1. S. ult. & l. 2. ff. ad S. C. Macedon.* Secundò, si pater longius absens sit, & Procurator non reliquit, *l. Si longius. 1. 8. S. Si filiusfam. ff. h. t.* Vel si praesens sit, sed amens, aut si rebus proprijs praesente nequeat, *Durand. c. l.* Tertio, si filiusfamilias impetrarit veniam aetatis, modo maior sit 20. annis, *l. 4. C. Qui veniam aetat. &c.* Quarto, in preparatorijs iudicij usque ad litem contestationem exclusivè, & in omnibus causis summarijs, & extraordinarijs, *Franc. in cit. c. ult. S. In huiusmodi. n. 5. h. t. in 6.*

Quinto, secundum quosdam, in causis bonorum adventitiorum, quorum administratio ad patrem non spectat, & in quibus usufructus ei non acquiritur. Contrarium tamen tenet gl. in *cit. l. ult. S. imponenda in fine C. de bonis, que liber. Franc. in cit. c. S. ult. n. 4.* Quia regula juris est, quòd filiusfamilias non possit esse in iudicio sine consensu patris, à qua regula non reperiuntur excepta bona adventitia, in quibus patri non acquiritur usufructus, adeoque exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. & ratio est, quia consensus patris requiritur in iudicij ad integrandam personam filij, sine quo non potest stare in ju-

in iudicio. Plures tamen casus, in quibus filiusfam. stare potest in iudicio sine patris consensu, enumerat *Gl. in ult. & ibid. Franc. n. 5. & Durand. cit. loc.*

XX. Atque hæc quidem procedunt in causis temporalibus, & politicis, seu profanis. At verò in causis beneficialibus, vel spiritualibus, & ab eis dependentibus, seu connexis, filiusfamilias, si pubes sit, liberè in iudicio stare potest, etiam sine patris consensu, neque ad huiusmodi causas patria potestas se extendit, ut constat ex *cit. c. ult. §. fin. h. t. in 6.* ubi dicitur: In huiusmodi quoque (scilicet spiritualibus, & ab ijs dependentibus) litibus, seu causis, quamquam aliàs filiusfamilias in potestate patris existat, nec absque illius assensu, in iudicio regulariter esse, seu stare possit: nequaquam ejus requiri debet assensus, cum pater in his se immisce- re non debeat. Quia consensus patris requiritur solum, ut filiusfamilias stare possit in iudicio, si lis sit de bonis patrimonialibus, quorum administratio ad patrem spectat, *Gl. fin. hic.*

Hinc inferitur primò, quòd pater in bonis spiritualibus, seu Ecclesiasticis filij nullum jus, nec administrationem habet, sed ea ad filium spectat, ideòque etiam, sine eius consensu, stare potest in iudicio, quia, quòd filius post Clericatum acquirit, quasi castrense peculium censetur, eodèque jure gaudet, *Durand. c. l. n. 47.* Idque procedit, non solum, si pater sit Laicus, sed etiam, si Clericus, quia quoad hæc bona filius liberatur à patria potestate: quamvis pater, etiam si sit Clericus, v. g. Episcopus, vel Abbas, in bonis temporalibus adventitij filij retineat usumfructum, & patriam potestatem, à qua ex hac causa non liberatur, nisi filius promoveatur ad Episcopatum, vel Cardinalatum. *Franc. hic n. 1. & 3.*

Inferitur secundò, si filiusfamilias impubes sit, tamen Curator ad litem, seu causam Ecclesiasticam à iudice Ecclesiastico dandus est; ut patet ex supra dictis: sicuti etiam, si minor sit 25. annis, ad causam, seu litem civilem iudex secularis ei Curatorem dare debet, ut si agat de peculio castrensi, vel quasi castrensi, cum quoad hoc pater se immiscere non possit. *Durand. c. l. n. 24.* Si quidem ordinarius processus observetur, cum litis contestatione, & alijs juris solemnitatibus.

XX. Quaritur tertio, an mulieres possint personaliter stare in iudicio? Resp. Mulieres invitæ, ex qua- cunque causa jure non expressa personaliter ad iudicium trahi non debent: adeòque in iudicio stare possunt, si velint, non verò ad id cogi possunt; prout sumitur ex *c. Mulieres. 2. h. t. in 6.* Ubi prohibetur, ne mulieres auctoritate litterarum Se- dis Apostolicæ, vel Legatorum eiusdem (& mul- to magis delegatorum, *Gl. hic V. Legatorum*) aut alià quacunque (nempe ordinarià, vel delega- rià, *Gl. hic V. Alia*) ob causam ferendi testimonij, aut aliam quamlibet in jure non expressam, ad ju- dicium personaliter evocentur, vel trahantur in- vite. Sed si earum testimonium necessarium fue- rit (quia alij non reperiuntur, qui de veritate testa- tum idoneam (v. g. Presbyterum, vel alium virum honestum, coram quo jurent, citatâ parte adversâ, & præsentente tabellione, *Gl. hic V. Idoneam*.) mittat ad habitationem earum, expensis partis producentis testes: aut si talis causa sit, ut ob prohibitionem

Juris, receptio testimonij alijs committi non possit, (ut in causa criminali criminaliter intentatâ, *Gl. hic V. Jure prohibente*) tum ipsemet Judex perso- naliter ad illas accedat; nisi personæ judicantis talis sit status, & conditio, ut non deceat (quia v. g. est Episcopus, vel eo Superior) vel non possit (v. g. ratione infirmitatis, vel loci, in quo moratur mu- lier, vel ob aliud simile impedimentum) per seipsum ad illas accedere. Veruntamen si Judex per frau- dem fingat necessitatem, ideòque mulierem faciat nominari in testem, ut malo sine ad eam venire possit, ipso facto excommunicationem incurret. Porrò femina Religiosa, præsertim quæ sub clau- sura vivunt, extra claustrum, personaliter ad iudicium ex quacunque causa vocari non debent; imò etsi velint venire, non sunt admittendæ. Si quid autem contra hanc constitutionem judicialiter at- tentatum fuerit, id ipso jure irritum sit.

XXI. Notandum primò, mulieres in causis criminalibus agere, seu accusare non possunt, nisi suam, vel suorum injuriam persequantur, *l. 1. l. Quis accusare. 8. ff. de accusat. l. uxor. 4. cum l. seq. l. de crimine. 12. C. de his, qui accus. non poss.* In causis verò ci- vilibus agere non prohibentur, & se defendere in iudicio, si velint; uti colligitur ex hoc *c.*, à contrario sensu, & tradit *ibid. Gl. V. Invitas.* Ergo volentes pos- sunt venire, quamvis ordinariè cogi non possint, ut civiliter conventæ, vel de crimine accusatæ in iudicio personaliter compareant, quia non convenit, mulie- res vagari, vel virorum caribus immisceri; ut dicitur *in cit. c. 2. in princ.* Sed quia hoc mulieribus privile- gij loco concessum est, ut non possint invitæ trahi ad iudicium, possunt illi renunciare, & si velint, perso- naliter venire ad iudicium, testimonij ferendi causâ, vel ex alia, quia privilegio uti non coguntur. *Franc. hic n. 1.*

Notandum secundò, possunt tamen mulieres interdum cogi, ut personaliter compareant in iudi- cio. Veluti in primis, si causa in iudicium deducta talis sit, ut corporalem præsentiam requirere videatur, adeòque ex juris necessitate aliud exigatur, ut si mulier de gravi crimine accusetur, nam in causis criminalibus possunt mulieres personaliter citari, & capi, ac incarcerationi: quamvis ob debita civilia non possint. *Auth. Hodie C. De custod. reor. Franc. hic n. 3.* Deinde hoc privilegium, ut mulieres invitæ trahi non possint ad iudicium, intelligi debet esse concessum tantum mulieribus honestis, sive sint illustres, & nobiles, juxta *l. Egregias. 15. ff. de Jurejur.* Si ve non; neque enim talia privilegia ad mulieres inho- nestas, & meretrices extendenda sunt. *Franc. hic n. 1.*

Notandum tertio, quamvis de jure civili recep- tio, & examinatio testimonij non possit committi, nisi habenti Jurisdictionem: tamen de Jure Canonico committi potest etiam tabellioni, & in eius defe- ctum, alijs viris honestis, uti sumitur ex hoc *c. Quoniam. & c. 11. de probat. & notat Franc. hic. n. 2.*

XXII. Notandum quarto, excommunicatio lata in hoc *c.* contra Judicem, vel alium, qui per fraudem fa- cit, ut Judex ipse personaliter ad feminam accedat, tes- timonij recipiendi causâ, non est reservata Papæ, quia hic non reservatur ejus absolutio, adeòque alijs conceditur, *Gl. hic V. Incurvat.* Ad hanc autem ipso facto contrahendam requiritur, ut delictum sit con- summa-

summam, quia pœna lege decreta non incurritur, ob delictum attentatum solum, sed nondum consummatum, *Anchar. hic in fine, & Franc. n. ult.* Requiritur etiam, ut quis Auctor sit fraudis, sive fuerit Judex, sive alia persona, quam non solum Auctor, seu Inventor deceptionis, sed etiam executor incurrit, *Suar. disp. 23. de censur. n. 13. & 15.* Et sive Judex fuerit Clericus, seu Ecclesiasticus, sive secularis, ut colligitur ex illis verbis text. *Auctoritate Sedis Apostolicæ, aut aliâ quâcumque.* quæ verba generalia sunt, & indefinita, ideòque sub ijs comprehenditur, non tantum Judex Ecclesiasticus, sed etiam secularis, nam in ijs, quæ ad bonos mores pertinent, possunt SS. Canonibus formam, seu modum præscribere servandam etiam à Judicibus secularibus, *Suar. cit. loc. n. 15.* Et ipsæ partes, & procuratores, licet sint Laici, si participant de crimine, eandem censuram incurunt. *Franc. hic n. ult.* Qui tamen id limitat quoad Judicem laicum, ut hanc excommunicationem solum incurrat, si sit subjectus temporali Jurisdictioni Ecclesiæ.

Notandum quintò, Moniales, aliæque Mulieres Religiosæ non possunt etiam volentes ex aliqua causa trahi personaliter, extra Monasterium, ad Judicium, quia tenentur servare clausuram, quod cum principaliter statutum sit in favorem, & bonum publicum Religionis, non possunt illi renunciare, sicut mulieres seculares, nam aliàs sæpe procurarent Moniales, ut ad Judicium evocarentur, & de claustrò exire possent, *Gl. fin. hic.*

XXIII. Ceterum sunt & alij, præter dictos, qui non possunt agere, & stare in Judicio, ut miles, *l. Non prohibentur. 8. C. de his, qui accus. non possunt.* Furiosus, aut mente captus, surdus, & mutus, quorum nomine curator agere in Judicio, vel eos defendere debet. *Arg. l. 1. C. de curator. furios.* Nec prodigus, cui bonis per Judicem interdictum est. *l. 15. Qui. 12. §. fin. ff. de tutor. & curat.* Nec servus. *l. Servus. 6. C. h. r.* Quia quoad actus civiles pro mortuo habetur, *l. Quod attinet. 32. ff. de R. I.* Nec deportatus, cujus loco in Judicio agit, & convenitur fiscus, qui in ejus bonis succedit. *Hiltrop. cit. tit. 13. n. 14. & duobus seqq.*

### §. III.

*An, & qua ratione Prælati Ecclesiastici, præsertim Regularis, vel Capitulum, seu Conventus, vel Religiosi singuli agere, aut conveniri in Judicio possint?*

XXIV. Assertio 1. Prælati Ecclesiastici, etiam Regularis, per se solus, absq; consensu, aut consilio Capituli, seu Conventus, in Judicio agere, & conveniri potest, si agatur de rebus communiter pertinentibus ad Prælatum, & Capitulum, præterquam, si causa ardua sit, & gravis momenti; ut colligitur ex c. *Abbatem. 4. caus. 18. q. 2. c. Non dicatis. 11. caus. 12. q. 2. & docet Marant. hic, & Imol. in c. Edoceri. 21. n. 2. & 4. de rescript. Abb. ibid. n. 6. Felin. n. 2. & 5. & alij communiter: imò etiam potest agere, & conveniri in Judicio pro bonis, & juribus Monasterij, sine licentia sui*

Superioris, *Navarr. in Commens. 2. de Regularibus. n. 65.* Ratio est, quia qui habent liberam administrationem à lege, seu jure sibi concessam, illi in Judicio agere, & conveniri possunt, *l. fin. ff. Quod cuiusque univ. nom.* ubi dicitur, utilis actio administratori civitatis debetur; & patet in tutore, qui pro bonis pupilli; in patre, qui pro bonis adventitiis filij; in marito, qui pro bonis dotalibus uxoris in Judicio contendere, & conveniri possunt: Prælatus autem habet liberam, seu independentem à Capitulo, sive Conventu, & plenam, ac generalem administrationem rerum communium Ecclesiæ suæ, aut Monasterij, tam in spiritualibus, quam temporalibus, sibi à SS. Canonibus concessam, & quidem plenius, quam v. g. tutori, quia tota potestas Monasterij, tam circa cultum Divinum, quam reliquas res Monasterij ad Abbatem, seu Prælatum pertinet, ut dicitur in c. *Nullam. 9. caus. 18. q. 2.* & constat ex aliis Canonibus supra cit. & in cit. c. *Edoceri. de Rescriptis.* dicitur, quòd Abbates ex officio teneantur congregationis suæ negotia procurare, *Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. c. 26. n. 2. 3. & 4.* Ergo potest Prælatus solus, sine consensu Capituli, seu Conventus agere, & respondere in Judicio, si agatur de rebus, & juribus communibus Monasterij, præterquam, si res sit gravis, & ardua; nam in rebus arduis requiritur consensus, vel saltem consilium Capituli, c. *Novis. 4. & seq. de his, quæ sunt à Prælatis & c. Abb. in cit. c. Edoceri. n. 6.* Idemq; dicendum de inferiore Rectore Ecclesiæ, quòd solus in Judicio contendere possit pro rebus, & juribus Ecclesiæ suæ, *Abb. c. l. n. 13.*

Neque prædictis obstat, quòd, qui rem alienare non potest, is nec potest rem in Judicium deducere, *l. Aut Prætor. 7. §. 2.* ubi dicitur, absurdum esse ei, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere, *ff. de jur. deliber.* Prælatus autem, sine consensu Capituli, non potest alienare bona Ecclesiæ immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servari possunt: ergo neque in causis, in quibus agitur de talibus bonis, Prælatus, sine consensu Capituli, litigare potest. Resp. cum Abbate in cit. c. *Edoceri. 21. n. 6. de Rescript.* illam regulam non habere locum in iis personis, quæ non proprio nomine, sed alieno agunt in Judicio, ut Prælatus nomine suæ Ecclesiæ, vel Monasterij: sic enim & pater, licet alienare non possit bona adventitia filij, tamen pro iis in Judicio contendere potest, *l. Cum non solum. 8. C. De bonis, quæ liberis. & c. l. 1. C. De bonis maternis.* & procurator, vel tutor potest agere in Judicio pro rebus domini, vel pupilli; & tamen non potest præterquam eius bona, sine Judicis decreto, alienare.

XXV. Assertio 2. non tamen vice versâ, Capitulum, seu Conventus Ecclesiæ, sive Regularis, sive secularis, in causis, seu rebus communiter pertinentibus ad Prælatum, & Capitulum, potest agere, vel conveniri in Judicio, sine auctoritate, & assensu Episcopi, seu Prælati, prout sumitur ex c. *Causam. 9. h. t.* Nam ortâ controversiâ inter Conventum Monasterij Dulmenfis, & Monachos S. Albani, Papa Clemens III. illam causam commisit cuidam Judici delegato cognoscendam, mandans eidem, ut inter cetera providereat, ut Fratres Dulmenfis Monasterij, cum auctoritate, & assensu Episcopi sui (seu Prælati, erat enim Ecclesiæ Cathedralis Regularis, adcoque Episcopus simul erat Abbas, seu Prælatus Monasterij, *Hofstiens. hic, & Abb. n. 8.*) Judicium ingrediantur, sive

inchoent, ne, si forte Monachi S. Albani causam obtineant, Episcopus Dulmenfis tanquam Abbas eiusdem Monasterij novam litem suscitaret, dicendo scilicet, acta iudicii, ob defectum consensus sui, irrita esse. Ex quo inferit *Gl. hic, V. Assensu Episcopi*, quod sine assensu Prælati, Collegium, seu Capitulum in iudicio nec convenit, nec convenitur: quia admittatio bonorum, & jurium communium Monasterij, non ad Capitulum, sed ad Prælaturam spectat: ideoque non potuit Capitulum, seu Conventus in causa communi iudicium ingredi, sive litigare, sine auctoritate, & consensu Episcopi, seu Prælati sui, *Abb. hic, n. 4. & in cit. c. Edoceri, n. 7.*

XXVI. Excipi debet, nisi sint causæ propriæ Capituli, seu Conventus, quia nimirum agitur de bonis separatim attributis Capitulo, seu Conventui, sive illis à mensa Prælati, & bonis ad eam pertinentibus, ut administratio eorum non sit penes Prælaturam, sed penes alium, v. g. Priorem claustralem, vel Decanum, vel Oeconomum à Conventu constitutum: tunc enim Capitulum, seu Conventus agere potest, & conveniri in iudicio, non requisito consensu Prælati, nisi causa gravis sit, *Imola in cit. c. Edoceri, n. 2. & 6. Abb. ibid. n. 6.* Vel nisi Capitulum agat pro recuperatione bonorum illegitimè alienatorum, quæ Prælatus recuperare negligit, *Abb. in cit. c. Edoceri, n. 7.*

XXVII. Hinc inferitur primò: Si administratio in aliqua congregatione, vel Ecclesia collegiata, seu Conventuali communiter pertinet ad Prælaturam, & Capitulum, quia & Prælatus aliquam personam deputare solet, & aliam Conventus, per quas iura, & bona Monasterij curentur, ac defendantur; tunc neque Prælatus, sine consensu Capituli, neque hoc, sine consensu Prælati, in iudicio agere, vel conveniri potest, secundum regulam traditam ab Innocentio in *cit. c. Edoceri, n. 4.* quod facultas agendi in iudicio sequitur potestatem administrationis, seu ad eum pertinet agere in iudicio, penes quem administratio est, *l. Omnes, §. 4. c. de Episc. & Cleric. at verò hoc casu administratio communiter, & simul pertinet ad Prælaturam, & Capitulum. Atque hæc ipsa causa est, cur Prælatus causas arduas in iudicio, absque Capitulo, agere non potest, quia nec administrare talia debet, sine Capituli consensu, vel saltem consilio. Laym. de iurisd. ordin. tit. 43. & quod Episcopus generalem, & perpetuum Oeconomum, seu Officialem, qui omnia iura, & negotia communia Ecclesiæ gerat, sine consilio Capituli, constituere non possit; ut tradit *Innoc. l. c.* quamvis in omnibus Ecclesiarum etiam consuetudo attendenda sit, quippe quæ potestates huiusmodi augere, vel minuire potest.*

Inferitur secundò. In causa propria Capituli, vel Conventus, sive quando agitur de bonis omnino distinctis, & separatim à bonis Prælati, non admittitur Prælatus ad agendum, nisi exhibeat mandatum, seu consensum Conventus; posset tamen, si caveat, Conventus postea rem ratam habiturum, quia personæ valde necessitudo ita admitti solent: est autem inter Prælaturam, & Capitulum, seu Conventum magna coniunctio, cum unum corpus constituent. Simili ratione, Capitulum, seu Conventus in causa Prælati per Synodum, seu Actorem agere velit, admitti debet sine mandato, si caveat, Prælaturam rem ratam habiturum, *l. c. r. Legaliter; de procurat. Imola, in cit. c. Edoceri, Tomus II.*

*vi. n. 8. de rescript. & ibid. Felin. n. 5.* Idque propter dictam coniunctionem, quæ est Capituli cum Prælato, tanquam corporis cum Capite.

Inferitur tertio. Iudex ex officio providere debet, ut à litigantibus serventur requisitæ solemnitates, ne ex defectu alicuius, iudicium reddatur elusorium, & postea irritari possit; prout sumitur ex *cit. c. Causam, h. t.* ubi Papa mandat Iudici delegato, ut provideat, ne Monachi Dulmenfes, sine auctoritate, & consensu Episcopi, seu Prælati sui, causam in iudicio suscipiant, idque, ne ob defectum huiusmodi consensus lis sospita resuscitetur; nam tunc agitur non de mero privato commodo partium, sed de bono publico, cuius interest, ut sit litium finis, ne fiant immortales, ideoque Iudex ex officio, etiam parte non petente, defectum supplere potest. *Abb. ibid. n. 3. Decius n. 2. Felin. n. 1.* ubi dicunt, quod Iudex ex officio possit repellere procuratorem non habentem legitimum mandatum. *Barbof. in collect. hic n. 2.*

XXVIII. Ceterum illud hic præterea notandum. Sententia lata pro Capitulo, sive in favorem eiusdem, agente in iudicio in causa propria, sine consensu Prælati, si causam obtineat, ratificari potest à Prælato per subsequentem consensum: sicut actus gestus, vel sententia lata in favorem pupilli, vel minoris alienantis, aut in iudicio agentis, sine auctoritate tutoris, vel curatoris, subsistere potest, quamvis contra ipsum non subsisteret, *l. Non eo minus. 14. C. de procurat.* Et quidem, si consensus Prælati requireretur, ut auctoritatem actui præstantis, tanquam solemnitas quædam in favorem Ecclesiæ; sicuti requiritur auctoritas tutoris, vel curatoris in rebus gestis à pupillo, aut minore, & in favorem eiusdem: Ut si Capitulum egit in iudicio, in causa propria, sed ardua, & gravis momenti: hoc casu sententia (idem est de contractu) si cedat in commodum Ecclesiæ, vel Capituli, sive pro eo lata sit, etiam sine consensu Prælati, subsistet jure singulari, id est, ex privilegio, seu favore Ecclesiæ: ita, ut contractus, vel sententia, propter defectum solemnitatis requisitæ solum jure positivo (ut in proposito auctoritatis Prælati) claudicat, modò ea, quæ jure naturæ requiruntur, adsint: id est, licet ex parte Ecclesiæ (vel minoris) rescindi possit, eam tamen volente, consistere debeat in commodum eius, quia, quæ in alicuius commodum statuta sunt, non debent in eius odium retorqueri: nam certa solemnitas requisita à lege, vel statuto, semper ita intelligi debet, quod intervenire debeat, nisi contractus sit utilis Ecclesiæ, vel minori; tum enim nihilominus valet contractus, sine tali solemnitate initus, & sufficit, si postea superveniat, ut docet *Redoamus in tract. de reb. Eccles. non alien. q. 42. n. 12. & seqq.* Si verò consensus Prælati requiratur, quia eius quoque propriè interest (ut si causa communis sit Prælato, & Capitulo) tum sententia lata in favorem Ecclesiæ, seu Conventus, sine consensu Prælati, accedente postea ratificatione eiusdem, subsistet jure communi, quia quilibet, spectato jure communi, ratificare potest, quidquid suo nomine intra, vel extra iudicium gestum est. *Abb. in cit. c. Causam, n. 11. Decius n. 5. Felin. n. 6. 7. & 8.* nam ratihibitionem retrahere, & mandato non est dubium comparari, *juxta reg. jur. 10. in 6.*

Nec obstat, quod contractus, vel acta iudicii ab initio irrita sint, cum defuerit potestas agendi propter omis-

omissam solemnitatem juris, vel defectum consensûs eius, cuius interest. Nam per supervenientem illius ratificationem (dummodo pars altera contrahens consensum interim non revocavit) confirmatur actus, aut sententia prius invalida, & juris fictione in effectu perinde est, ac si ab initio firma, seu valida fuisset. *l. Licet. § 6. & ibi Bart. ff. h. t. ubi habetur, quod rati- habitio retrahitur, & confirmat Iudicium agitatum cum procuratore falso, seu mandatum non habente: & quoad contractum colligitur ex l. Si ego. 24. ff. de negot. gest. & l. Communis. 42. ff. de acquirend. poss. ubi habetur, quod pecuniæ gestori negotiorum à debitore traditæ dominium acquiratur creditori, dummodo is solutionem ratam habeat.*

XXXIX. Assertio 3. Regulariter, & ordinariè loquendo, Regulares utriusque sexûs non possunt per se, vel per alium, suo, vel alieno nomine, stare in Iudicio, neque ad agendum, neque ad se defendendum, sine licentia Superioris, ut tradunt communiter DD. *in c. Cum dilecta. 22. de rescript. Durand. in spec. l. 1. part. 2. tit. de actore. n. 48. Navarr. comment. 2. de Regularibus. n. 64. Sanch. lib. 6. moral. c. 12. n. 1. & alij.* Ratio est, quia Religiosus non est sui juris, nec dominium bonorum habet, sed omne jus suum in Monasterium transtulit, & velut mortuus est, ideòque æquiparatur filiofamilias: quin & servo, qui in Iudicio non possunt contendere, absque patris, aut domini sui licentiâ. *l. Lis nulla. 22. & l. Vix certis. § 3. ff. h. t. l. Servus. 6. C. eod. c. ult. h. t. in 6.*

XXX. Hinc infertur primò, quòd Religiosus non potest convenire, nec conveniri, ratione contractûs cum eo iniri; sed conveniendum est Monasterium, ita tamen, ut, si agatur contra Religiosum ex obligatione contracta, ante Religionis ingressum, libellus, & narratio facti concipienda sit in personam Monachi, quia cum eo gestum est negotium; quamvis executio sententiæ condemnatoriæ in bonis Monasterii fieri debeat, ita tamen, ut hoc non teneatur ultra bona, quæ ab ipso accepit. *Navarr. cit. Comment. 2. n. 67. Sanch. c. l. n. 2.* Ex contractu verò Religiosi post ingressum Monasterii non tenetur, nisi inde factum sit locupletius, sed sibi imputare debet actor, quòd cum persona incapaci contraxerit. *Sanch. c. l. multò minùs ex delicto ipsius, obligatur Monasterium, sicut nec dominus ex delicto servi. Sanch. c. l. n. 3.*

Infertur secundò. Si Monachus, aliùve Religiosus, vestibus, vel libro v. g. spoliatus, vel aliâ injuriâ affectus sit, non potest agere in Iudicio, nisi Prælati absens sit, nec procuratorem reliquerit. *Arg. l. Sed sumus. 17. §. At Prætor. 10. ff. de injur. ubi dicitur, eum, qui in alterius potestate est, non posse injuriarum agere, si is, cui subest, præsens sit, vel eius procurator. Durand. c. l. n. § 1. Sanch. c. l. n. §. & alij apud ipsum.* Unde Abbas potest, etiam invito Religioso, injuriam ipsi illatam remittere, non autem ipse per se, nisi Superior longè absit, cum sui juris non sit. *Sanch. c. l. n. 6. & 7. & alij ab eo cit.*

Infertur tertio. Iudicium agitatum cum Religioso, sine Superioris licentiâ, in casibus, in quibus non potest agere, aut se defendere, est ipso jure irritum, quia ad Iudicium legitimum requiritur, ut interveniant tres personæ, iudex, actor, & reus, ut supra dictum. At Religiosus non potest legitime comparere in Iudicio, sive ut actor, sive ut reus, sine licentiâ

Superioris: quamvis hic possit ratum habere iudicium institutum cum Religioso, sine eius licentiâ, quando is agit nomine Prælati, vel Monasterii. *Sanch. c. l. n. 12. & 13.*

XXXI. Ceterum plures sunt casus excepti, in quibus potest Religiosus agere, & respondere in Iudicio, quos referunt *Navarr. c. l. n. 65. Azor. p. 1. l. 12. c. 11. q. 9. Sanch. c. l. n. 14. & seqq.* Veluti primò, in causa sui Monasterii, seu Religionis, accedente mandato Prælati. *c. Monachi. 35. caus. 16. q. 1.* Nam cum Abbas in causa sui Monasterii possit agere per se ipsum, poterit etiam per alium quemlibet non prohibetum. Religiosus verò solum prohibetur stare in Iudicio, absque licentiâ Prælati. Secundò, si Religiosus studiorum causâ, vel ob aliam causam absens sit, ita, ut commodè, & absque periculo in mora, non possit peti licentiâ Prælati, tum ex præsumpta eius voluntate potest agere, vel se defendere, si spoliatus sit, vel injuria ei illata, quia videntur ea ipsi concessa, sine quibus commodè ibi versari nequit. Tertio, potest Monachus, seu Religiosus agere in Iudicio, si electus sit ad Prælaturam, vel aliam dignitatem, vel si collatum sit ei beneficium: item si agatur, an valida sit ipsius professio, vel an justè ejectus sit, vel si ei necessaria alimenta, aut expensæ à Monasterio denegentur. Potest autem in his casibus Religiosus, vel per se agere, aut respondere in Iudicio, vel procuratorem constituere ad persecutionem juris sui; nam generaliter, quando Religiosus per se, & nomine suo agere potest in Iudicio, potest etiam loco sui procuratorem constituere, quia magis decet, ut per procuratorem compareat. *Abb. in c. Cum dilecta. 22. n. 1. de Rescript. Navarr. c. l. n. 68.*

Quarto, excipi debet, nisi Religiosi habeant beneficium saltem manuale, & ad nutum revocabile, cui administratio aliqua annexa sit, v. g. Prioratum, vel aliam administrationem in titulum beneficiarii, saltem manuales, & revocabilem: tum enim super Juribus suis per se agere, & conveniri in Iudicio possunt, ex generali doctrina tradita ab Abbate in *c. Cum deputati. 16. n. 1. h. t.* Quòd quisvis, qui præficitur administrationi alicui, habeat facultatem agendi super juribus illius administrationis, etiam si obedientiarum tantum sit, seu ad nutum superioris ab administratione amoveri possit. *Durand. cit. tit. de Actore. n. 49. Navarr. cit. Comment. 2. de regular. n. 64. Sanch. cit. c. 12. n. 17.* Quamvis, si causa ardua sit, non debet agere sine consensu Superioris. *Sanch. c. l. n. 15.*

XXXII. Idèq; sumitur, & probatur ex *c. Cum deputati. 16. h. t.* Nam cum Innocentius III. interlaxisset, quòd quidam, tam seculares, quam Ecclesiastici Judices, Præceptores, seu Commendatarios Ordinis militaris in controversiis ortis circa domos suas, quarum commendam, seu administrationem gerunt, ab agendo, & respondendo in Iudicio repellerent, propterea, quòd eis licitum non sit forensibus litibus occupari, sed potius quieti vacare debeant (tanquam Religiosi, non tamen claustrales, qui nullam administrationem habent, sed præpositi negotijs gerendis, Hostiens. hic V. Litigiosis) & quòd aliunde advenientes (videlicet ex Regionibus Ultramontanis) eorum Natio, & origo esset ignota. His non obstantibus, idem Papa auctoritate Apostolicâ inhiibuit, ne propterea à Iudicio

repel-

repellantur, nam si laudabiliter officium suum exercant, sive commissam sibi administrationem gerant, non debet constare, ex qua Natione, vel Regione sint oriundi.

XXXIII. Pro intellectu hujus c. Notandum primo. In quibusdam Ordinibus Religiosorum, præsertim qui ad militandum, peregrinos, & pauperes hospitio suscipiendos, & sustentandos, vel curandos agrotos sunt instituti, administratores domorum, vel honorum, & reddituum ad ipsas pertinentium, & vocantur Præceptores, qui tribus votis sunt obstricti, & regulæ sui Ordinis professi, & à Magistro Ordinis, vel ab alijs ejus nomine, & auctoritate, ad administrandas domos, & bona earum constituuntur, ut notat *Agor. p. 2. l. 3. c. 36. q. 8. Et de his fit mentio in c. Cum deputati. h. t.* Et probabile est, quòd habeant beneficium regulare, sed manuale, seu ad arbitrium Superioris revocabile, cum illis talia beneficia dicantur conferri, & canonicè in ijs instituantur. Quamvis communiter talia beneficia dicantur illis solum committi, seu Jure administrationis dari, & commendari, adeoque beneficia propriè dicta esse non videantur. *Agor. c. l. q. 10.*

Notandum secundò. Si Religiosi peregrini, & negotii à Prælatis Ordinum alicui administrationi intra Ordinem suum præficiantur, & agere velint in iudicio, non possunt repelli, si convenienter statui suo vivant, quia, qui à legitimo Superiore ad negotium, vel administrationem aliquam est præpositus, præsumitur ad illam esse idoneus, nec curari debet, quòd communiter ignota sit eorum origo, quia magis attendi debet ad eorum conversationem bonam, quam originem. *Abb. in cit. c. Cum deputati. n. 1. not. 3.*

#### §. IV.

*Vivum Jus agendi in Iudicio, pro Juribus, & rebus Ecclesie inferioris subiectæ Prælato Superiori, pertineat ad Superiorem, an ad inferiorem Rectorem, vel etiam ad Vicarium perpetuum?*

XXXIV. Assertio 1. Si Prælatus superior, & Rector, vel Administrator ei subiectus in administratione concurrant, tum vel administratio Juris, ac bonorum actu est penes utrumque, Superiorem, & inferiorem; & in hoc casu, quamvis inferior agere possit in iudicio, Superiore id permittente: si tamen ipsemet Superior agere malit, is inferiori præferendus est, tanquam habens majorem auctoritatem, seu potestatem administrandi; prout sumitur ex *Clement. 1. V. Litteræ. de rescript. Innocent. in c. Olim. 12. n. 1. de rescript. sp. Abb. in c. Cum deputati. 16. n. 15. h. t.* Vel administratio tota actu tantum est penes inferiorem, penes Superiorem verò solum in habitu, ita, ut is ordinariè se administrationi non immisceat: & hoc casu inferior Rector, seu Administrator immediatus præserti debet, ita, ut is potius in causis pertinentibus ad Ecclesiam, vel ejus administrationem, in Iudicio

agat, & conveniatur, quam Superior, qui se ordinariè administrationi immiscere non debet, nisi in defectum inferioris Rectoris, seu Administratoris, quia is est negligens, vel non satis potens ad causam agendam. Ratio est, quia inferioris Rectoris, ad quem administratio actu, & immediate pertinet, principalis interest, ut tradit *Barr. in l. Sancimus. 17. n. 10. C. de SS. Eccles. arg. l. 2. §. Si simul. ff. ad leg. Jul. de adul.* Ubi habetur, quòd maritus præfetti debeat patri adulteræ, si uterque adulterium accusare velit. Hoc autem procedit in Rectore, vel Administratore inferiori perpetuo, qui sine justa causa amoveri non potest; tunc enim regulariter non agit Prælatus Superior, sed inferior, qui est defensor immediatus Ecclesie, vel beneficii. Si verò inferior Administrator solum sit temporalis, & ad nutum Superioris amovibilis, tunc etiam permittente Prælato Superiore, pro Juribus, & rebus Ecclesie, beneficii, vel administrationis sibi commissæ agere, ac respondere possit in Iudicio, ut supra dictum: si tamen Prælatus Superior agere velit, inferior agere non poterit, etiam si aliàs ordinariè administrationi inferioris Ecclesie, vel beneficii Superior non se immisceat, quia cum Superior possit inferiorem removere à totali administratione, multò magis poterit à particulari potestate agendi in hac, vel illa causa. *Abb. in cit. c. Cum deputati. n. 15. in fine. h. t. Imol. ibid. n. 4.*

XXXV. Assertio 2. Etsi Episcopus in Iudicio agere potest, nomine Ecclesie Parochialis Diocesis suæ pro Juribus, & rebus ejusdem, etiam si illa proprium Rectorem, seu Parochum habeat, ut colligitur ex *c. ult. de success. ab intest.* Ubi *Innocent. V. Et. ait*, quòd quilibet Superior pro quolibet Collegio sibi subiecto potest agere: & ratio est, quia Episcopus est ordinarius Pastor omnium Pastorum, & Parochorum Diocesis, ita, ut omnes Diocesani sint etiam Episcopi Parochiani; ut colligitur ex *c. ult. de sepult. & tradit. ibid. Abb. not. 1.* Veruntamen pro Jure decimarum, aliorumque reddituum Parochialium, si de eo controversia sit, potius Parochus, quam Episcopus agere debet, eique est præferendus, quia Jura hujusmodi parochialia specialiter, & proximè ad Parochum spectant; nisi is id negligat, vel insufficientis sit ad agendum, tum enim Episcopus Parochi defectum supplere debet, cum generalem curam omnium Ecclesiarum sibi subiectarum gerere debeat. Vel nisi causa æquè immediate ad Episcopum pertineat, ut si tertiam, vel quartam partem decimarum percipiat: tum enim etiam ipse agere poterit, & præventio inter Episcopum, & Parochum locum habebit. *Ioan. Monach. in c. 1. n. 3. de reb. Eccles. non alien.*

Sed videtur, quòd Episcopus nullo modo possit agere pro Juribus inferioris Ecclesie v. g. Parochialis, quia ille solus potest agere, qui actu administrat; ut sumitur ex *c. Edoceri. 21. de rescript.* Sed Episcopus non administrat parochiam, ejusque res, saltem actu, & ordinariè, ergo ad illum non pertinet agere in Iudicio. Verum hoc procedit, quando nulla causa subest, cur alius agat, quam qui actu, & immediate administrat: secus est in proposito. Deinde, quando administrationes sunt omnino discreta, seu divisa, tunc Jus agendi est penes eum solum, qui actu, & ordinariè administrat: at inter Episcopum, & Parochum non sunt diversæ administrationes, sed ambo

sunt administratores, unus tamen sub alio, seu alteri subordinatus, nempe Parochus Episcopo. *Innocent. in cir. c. Olim. n. 2. de restit. spol. & Abb. in cir. c. Cum deputati. n. 14. h. t.*

Ex dictis infertur, quod vacante Ecclesiâ inferiore, v. g. Parochiali per mortem Parochi, & multò magis Collegiatâ Ecclesiâ, non currat præscriptio contra illam; quia, licet Episcopus Ecclesiam talem defendere possit, adeòque non careat omni defensore, non habet tamen defensorem proprium, & specialem, videlicet Parochum, ad quem principaliter pertinet ejus Jura defendere, & qui specialem ejus curam gerit. *Abb. in cir. c. Cum deputati. n. 14. & 17. h. t. Felin. ibid. n. 7.* Idque sumitur ex *c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6.* Ubi decernitur, alienationem decimarum parochialium factam ab Episcopo, cum consensu Capituli, dum vacaret Ecclesia parochialis, mortuo Parochi, non valere; quia caruit legitimo defensore, nam, sicut pupillo non habenti tutorem, defensor dari debet per Judicem: ita etiam Ecclesiâ vacanti deputandus est ab Episcopo defensor, cum & ipsa jure minoris fungatur. *Gl. marg. ibid. V. Defensorem; & Franc. num. 7.*

XXXVI. Assertio 3. Non solum Parochus, sed etiam Vicarius perpetuus agere, & respondere potest in judicio, pro juribus Vicariæ suæ, & quidem etiam sine mandato Rectoris principalis, cuius vice ipse Ecclesiæ curam gerit. *Felin. in c. G. Perpetuus. 12. n. 4. de fide instrum.* nam Vicarius perpetuus titulum beneficii obtinet. *c. Michaël. 13. de filiis Presbyt.* & ideo de ipso, sicut de aliis Curatis, & Beneficiariis sentiendum est. *Clement. unic. de offic. Vicar.* sic etiam Canonici agere potest pro juribus præbendæ suæ, licet præbenda sit Capituli. Imò in tali casu Vicarius perpetuus in agendo præferri debet Rectori principali: cum enim ipse jura, & fructus Vicariæ tanquam usufructuarius quidam, seu utile dominium habens participet, ideo ipsius principaliter interest. *Felin. c. l. n. 7. declar. 4.* pro aliis vero juribus Ecclesiæ, quæ penes Rectorem principalem remanserunt, non potest agere in judicio, quia in illis nullum titulum habet. *Felin. c. l. n. 6.*

Ceterum, si principalis Rector Vicario perpetuo in judicio agenti, & liti assistere velit, admitti debet, cum etiam eius interest: nam si Vicarius causam perdat, & ideo necessariam sustentationem non habeat, de alia ipsi Rector providere deberet. Si tamen Rector ignoraret, Vicarium agere in judicio super juribus Vicariæ, acta iudicii ipsi non obessent. *Felin. c. l. n. 7. declar. 3.*

### §. V.

#### Utrum excommunicatus possit stare in Iudicio?

XXVII. Assertio 1. Quamvis excommunicatus non possit agere, seu convenire in judicio; potest tamen conveniri (ut reus) ne videatur ex sua malitia commodum reportare, debet tamen per alium in judicio respondere. Ita statutum habetur in *c. Intelleximus. 7. h. t.* Id autem intelligendum est de ligato excommunicatione maiore, non autem de minore, quæ non privat communione forensi, vel aliâ

hominum, sed participatione Sacramentorum tantum. *Imola hic n. 1. & Abb. n. 4.* Sed neque dispositio huius c. locum habet in suspenso, vel interdicto, quò minus agere possint in judicio, quia illis non est interdicta communio cum aliis. *Abb. hic n. 14. & Felin. n. 10.*

XXXVIII. Porro pro declaratione huius c. Notandum primò. Excommunicatus in alia causa, quam excommunicationis suæ, non potest agere in Iudicio. *c. Decernimus. 8. ibi, Ab agendo. de sent. excommunic. in 6. sive civiliter, sive criminaliter:* nam excommunicatus accusare non potest, sive agat in Iudicio seculari, sive Ecclesiastico, nec per se ipsum, nec per alium, scilicet procuratorem, *juxta reg. jur. 67. in 6.* Quòd alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. & Procurator nihil agit, nisi nomine domini. *Suar. dis. 16. de censur. sec. 3. n. 2. & 4. Barbosa. in cir. c. Intelleximus. n. 3. 4. & 5.* ubi plures ampliationes refert. Quòd si excommunicatus non toleratus, seu vitandus agere velit in Iudicio, à Judice ex officio repelli debet, etiamsi exceptio contra illum à Reo non opponatur. Si verò toleratus sit, potest quidem à Judice repelli, si excommunicatio publica, seu notoria sit; sed non debet, nisi Reus de excommunicatione excipiat contra Actorem, eamque, si notoria non sit, intra octo dies demonstrat. *c. 1. de except. in 6. Suar. c. l. n. 2.* Ratio est, quia, sive actor denunciatus sit, ac vitandus, sive non, imò sive sit publicè, sive occultè excommunicatus, non potest agere in Iudicio, quia ipse semper tenetur, quantum in se est, vitare alios, neque ipsi concessum est ullum privilegium: Jure autem novo post *Concilium Constant.* *Extravag. Ad evitanda.* hoc est discrimen inter excommunicatum vitandum, & non vitandum, quòd ille vitari, ac repelli ab agendo debeat: iste autem possit, cum nihil de antiqui Juris rigore in favore excommunicati remissum sit; quamvis non debeat repelli, cum nec Judex, nec pars illum vitare teneatur. *Suar. c. l. n. 5.* Quin imò non tantum Judex, & Adversarius, sed etiam Notarius, vel quicumque alius potest actorem excommunicatum à Iudicio repellere, ut tradit *Gl. recepta in cir. c. 1. de except. in 6. & Decius in cir. c. Intelleximus. n. 19. h. t.* ubi generalem doctrinam ponit, quòd in his casibus, in quibus Judex ex officio supplere debet, etiam tertius, cuius propriè, seu privatim non interest, propter bonum publicum admittendus sit.

Notandum secundò. Etsi excommunicatus regulariter non possit stare in Iudicio, ut actor, potest tamen agere in causa suæ excommunicationis. *Arg. c. 1. de rescript. in 6.* ubi dicitur, rescriptum impetratum ab excommunicato non valere, nisi in causa excommunicationis suæ. ergo etiam in causa excommunicationis propriæ excommunicatus admitti debet ad agendum in Iudicio, ita tamen, ut, si probare intendat, excommunicationem injustè, seu illicitè in se latam esse, non negando tamen, validè latam esse, non admittatur ad agendum, nisi priùs absolvatur, & promittat, se Ecclesiæ mandatis pariturum, postea autem, receptis utrinque probationibus, cognoscendum erit, justè, an injustè excommunicatus fuerit. Si verò intendat probare, excommunicationem etiam fuisse ipso jure nullam, ut quia post interpositam appellacionem lata fuit, vel quia intolerabilem juris errorem continet, tum admittendus est ad probandum in ten-

intentionem suam in Iudicio, ut ex probationibus constet, an actor sit absolvendus ab excommunicatione, vel non ligatus declarandus: adeoque, ante omniam, Iudex cognoscere debet de valore excommunicationis; quia si irrita esset, frustra absolveretur, juxta c. Cum coningat. 36. de offic. deleg. c. Per tuas. q. de sentent. excomm. Suar. cit. dis. 16. sec. 3. n. 1. Sunt et alij casus excepti, in quibus excommunicatus agere potest in Iudicio, veluti, quoties agitur de periculo animæ ipsius, ad illud evitandum admitti debet. Abb. in c. Significaverunt. 11. num. 22. in fine. de except. Felin. ibid. n. 14. saltem ex officio Iudicis, non ex jure sibi competente. Barb. in collect. hic n. 10. Vel si periculum sit in mora, ut si debitor ipsius sit fugitivus, tum enim non agit omnino voluntariè. Felin. in c. Cum inter. 1. n. 16. de except. Vel si excommunicatus impediatur facere sibi permessa, ut si impediatur ire Romanam ad impetrandum rescriptum super appellatione, quæ ipsi permessa est, tunc enim agere potest contra impediētes. Abb. hic n. 7. c. Felin. n. ult. apud quem plures huiusmodi limitationes videri possunt.

Notandum tertio. Excommunicatus compelli potest ad respondendum tanquam reus in Iudicio, non tantum in causa ipsius excommunicationis, sed etiam in quavis alia, in qua fuerit conventus, quia alioquin ex contumacia sua reportaret commodum, si vel ob debitum, vel ob crimen conventus ad respondendum cogi non posset, & alia omnia præstantur, quæ Iudicio annexa sunt. Suar. cit. sec. 3. n. 1.

XXXIX. Notandum quarto: Excommunicatus tanquam reus in Iudicio conventus, non potest actorem suum reconvenire. c. Cum inter. 5. in fine. de except. & docet Gl. in cit. c. Intelleximus. V. Conveniri. h. n. nam reconventio est reciproca petitio. c. 2. de iur. petit. adeoque non necessariè defensionis, sed actionis rationem obtinet, & ad novæ causæ voluntariam prosecutionem spectat: quod intelligi debet de reconventionem propriè dicta, per quam objicitur Actori id, quod est extra causam in Iudicio deductum: secus autem est, si id, quod actori objicitur, subleget causam Rei, ita, ut ad defensionem ipsius pertineat; ut si reus excommunicatus actori preteriti solutionem opponat, se jam solvisse, & de solutione facta rationem ab eo accepisse, sed rursus ab ipso actore oblatam esse, vel laceratam: nam talis oppositio non habet rationem reconventionis, sed defensionis, quæ licita est Reo excommunicato, ut mox dicetur. Suar. cit. sec. 3. n. 3.

Notandum quinto. Licet Reus excommunicatus reconvenire non possit actorem, potest tamen contra illum excipere, si & ipse sit pariter excommunicatus: tum quia illa non est propriè dicta reconventio, sed defensio: tum quia in pari causa melior est conditio possidentis, & Rei; ideoque, quando uterq; est excommunicatus, actor, & reus; causa Rei favorabilior censenda est: tum denique, quia excommunicatus prohibetur communicare etiam cum alio excommunicato, juxta communem opinionem. Decius in cit. c. Intelleximus. n. 13. h. 1. Suar. cit. sec. 3. n. 3. Similiter potest excommunicatus condemnatus à sententia Iudicis appellare, & appellationem proseguere; reculare Iudicem suspectum, excipere contra testes, & alia omnia agere, quæ necessaria sunt ad se defendendum in Iudicio. Gl. in cit. c. Intelleximus. in fine.

Suar. cit. sec. 3. n. 3. c. sec. 4. n. 2. c. 3. ne alioquin accidat, ut innocentes condemnentur, si necessaria remedia defensionis ipsi denegetur. Sed & excommunicatus conventus de solvendo debito compensationem objicere potest, si debita suapte naturâ sint compensabilia, nam compensatio moraliter censetur esse quædam solutio, juxta l. 76. ff. de V. S. ubi dicitur, dedisse censendus est etiam is, qui permutavit, vel compensavit; constat autem, eum, qui solutionem factam objicit, jure defensionis, seu exceptionis uti, cum exceptio non sit aliud, quam actionis exclusio, ergo & is, qui compensatione utitur, excipit, & se defendit. Suar. c. l. de quo plura infra Tit. 25.

XL. Notandum sexto. Quod dictum est, excommunicatû, tanquam reum, stare posse in Iudicio, id intelligendum est de reo necessario, qui per specialem, vel saltem generalem citationem ad Iudicium vocatur, & venire compellitur: non autem de reo voluntario, qui non citatus, ultro, & voluntariè ad Iudicium venit, pro suo commodo, cum posset non comparere; vel non vocatur, nisi sub conditione, si voluerit comparere; vel, si ei commodum fuerit: nam talis reus excommunicatus non est admittendus ad Iudicium, ut colligitur ex cit. c. Intelleximus. & docet Suar. cit. dis. 16. sec. 4. n. ult. c. alij communiter. Quare si aliquis voluntariè se subiciat Iudicio, petendo v. g. ut alter crimen, de quo ipsum infamavit, in Iudicio probet; sin minus, silentium ei imponatur, juxta l. Diffamari. 5. C. de ingenuis. tali casu, reus excommunicatus non est admittendus, sed obstat ei exceptio excommunicationis, cum agatur de commodo Rei, & ipse cœperit agere contra aliû, qui eum diffamavit, quamvis postea in ea lite, se gerat, ut reus. Abb. in cit. c. Intelleximus. n. 12. Suar. c. l. Sicut & vice versâ, si actor sit necessarius, admitti debet ad agendum, tametsi excommunicatus sit; ut si ipsemet actor excommunicatus, sed toleratus, seu non vitandus, in Iudicio causam agere cœperit, nec repulsus sit, potest postea à reo compelli, ut litem cœptam proseguatur, juxta Authent. Qui semel. C. Quomodo, & quando Iudex & c. quia aliàs sequeretur absurdum, quod excommunicatio prodesset excommunicato, & obesset adversario non excommunicato, quod esse non debet; & ratio est, quia hoc casu non agitur de commodo actoris, sed potius incommodo. Abb. c. l. n. 12. Similiter si quis in beneficio instituendus, vel electus confirmandus sit, potest excommunicatus etiam vitandus se opponere contra instituendum, vel electum, propter necessariam defensionem; si vel ipse in beneficio jus habeat, quia à defensione nullus excommunicatus repellitur; vel si agatur de publico bono Ecclesiæ suæ, cuius ipse est membrum, ne indignus ad Prælaturam assumatur; sicut tradit Gl. in c. Exhibita. V. Excommunicationem. h. 1. c. ibid. Abb. num. 7. Aliud est in actore voluntario, qui agere non compellitur, nam is in excommunicatione existens ad agendum non admittitur; ut ex supra dictis patet.

Atq; hinc inferitur, quod excommunicatus non solum non potest stare in Iudicio, ut actor, sed nec ut Iudex, nec ut testis, nec ut advocatus, vel procurator, &c. quia dispositio generalis cit. c. 7. h. 1. quod excommunicatus non possit stare in Iudicio, nisi ut reus, cum sit edita in odium excommunicati, non debet referri ad ullum casum, qui cederet in favorem

excommunicati: nam, sicut, quod ob gratiam alicuius conceditur, non debet in eius dispendium retorqueri; *Reg. Jur. 61. in 6.* ita vice versâ, quod in alicujus odium, vel pœnam statutum est, non debet in ejus favorem, vel commodum cedere. *Abb. in cit. c. 7. n. 2. & 3. h. t.*

XLI. Notandum septimò. Reus excommunicatus potest per alium respondere in Iudicio, ut patet ex *cit. c. Intelleximus. h. t.* ad hocque potest validè, ac licitè procuratorem pro se constituere, qui eum defendat in Iudicio, idque etiam magis decens est, quàm si personaliter compareat in Iudicio. Verùm autem compelli possit ad mittendum procuratorem loco sui, dubitatur. Negat *Gl. hic. V. Conveniri. Abb. ibid. n. 7. & Suar. cit. sec. 4. n. 6.* posse cogi, ut procuratorem mittat, sed posse per se ipsum respondere, & se defendere, si velit. Ratio est, quia plerumque negotia humana non tractantur fideliter, & accuratè per alium, & ideo reus excommunicatus, cui permessa est legitima defensio, non debet cogi, ne per se ipsum possit respondere, & se defendere. Verùm per hoc solùm probatur, quòd, si causa sit ardua, & reus excommunicatus nequeat habere idoneum procuratorem, eique debitum salarium dare, cogi non possit ad constituendum procuratorem, quia hoc casu auferretur illi necessaria defensio: alioquin verò, si causa non sit ardua, & procurator idoneus haberi possit, cogi potest reus, ut per procuratorem respondeat, & se defendat; ut clarè colligitur ex *cit. c. Intelleximus.* ubi dicitur: *Debet per alium respondere;* Verbum autem, *Debet.* in propria significatione acceptum importat necessitatem, seu obligationem respondendi per alium, & consequenter prohibetur respondere per se: à propria autem significatione verborum non est recedendum, sine urgente necessitate. Sicut vice versâ, si alicui imponatur in pœnam necessitas, seu obligatio agendi, vel respondendi per se ipsum, non potest id facere per alium. Est autem hoc specialiter statutum, ut reus excommunicatus respondeat non per se, sed per procuratorem, propter vitandum periculum communicationis, dummodo id sine gravi suo incommodo fieri possit, ne afflicto nova addatur afflictio, neque hoc casu tollitur reo excommunicato legitima defensio, licet ipse personaliter in iudicio comparere non possit, quia satis defenditur per procuratorem idoneum, quem, ut supponitur, habere potest. *Imol. in cit. c. Intelleximus. n. 2. Decius ibid. n. 7.*

Notandum octavò. Quòd dictum est, excommunicatum reum admitti debere ad respondendum in Iudicio, etiam per se ipsum, saltem si sine notabili suo incommodo procuratorem habere non possit, id procedit, etiam si reus in culpabili mora sit petendæ absolutionis ab excommunicatione, eamque petere nolit: quia Jus Canonicum absolutè concedit reo excommunicato, ut respondere, & se defendere possit in Iudicio, & non exigit, ut priùs absolvatur, vel ut per ipsum non stet, quòd minus absolvatur; quamvis hoc Ecclesia præcipere potuisset. *Suar. cit. sec. 4. n. 9.* Posset tamen hoc casu Iudex, præsertim Ecclesiasticus, prohibere reum excommunicatum, ne per se ipsum compareat in Iudicio, nisi priùs absolutionem impetrarit, sed eum compellere, ut procuratorem constituat, per quem admitti potest, ac debet, quia tunc vitatur communicatio. *Suar. c. l. n. 8.*

XLI. Assertio 2. Et si excommunicatus in Iudicio agere non possit, si tamen defacto agat, & per oppositam excommunicationis exceptionem non repellatur, omnia acta in Iudicio sunt valida, ut aperte colligitur ex *c. 1. de except. in 6. & tradit Abb. in cit. c. Intelleximus. n. 13. h. t. & Felin. ibid. n. 9. Suar. cit. dif. 16. de cens. sec. 3. n. 7.* Idque procedit, si actor sit occultè, siue etiam publicè excommunicatus, quia notitia publica excommunicationis personam non reddit magis inhabilem. *Abb. c. l. & Suar.* Ratio est, quia, quamvis actor repellatur à iudicio, eò quòd per excommunicationem privatus sit communicatione forensi, & omni aliâ hominum: nullum tamen Jus speciale reperitur, per quod omnia ad petitionem excommunicati gesta in Iudicio reddantur irrita, quàm diu contra illum exceptio excommunicationis non opponitur; neque etiam actor est privatus Jurisdictione, quippe quæ non in ipso, sed in Iudice existit, ac proinde ob hanc causam acta illa non sunt censenda irrita. *Suar. c. l. Ubi addit,* non tantum in causis civilibus, sed etiam in Ecclesiasticis, acta Iudicij non reddi irrita ob excommunicationem actoris, quia neutrum Iudicium Jure irritatum ob hanc causam invenitur.

Limitat tamen id *Abb. c. l.* Ut solùm procedat, si excommunicatus agat in Iudicio coram Iudice ordinario, vel delegato impetrato ab alio, quàm ab actore, vel etiam ab hoc, sed antequam excommunicatus esset: non autem, si litiget coram delegato ab ipsomet actore, durante excommunicatione, impetrato: tum enim iudicium non valet, quia rescriptum ab excommunicato impetratum fuit nullum, *c. 1. de rescript. in 6.*

Porrò citatio, aliæque acta Iudicij, non obstante excommunicatione actoris, sunt simpliciter valida, ita tamen, ut semper contra actorem objici possit exceptio excommunicationis, quæ obiectâ, illa in effectu non obligant, sed suspenduntur, donec absolutionem ab excommunicatione actor impetraverit; quâ impetratâ, poterit iterum in causa progredi: quòd si exceptio excommunicationis non opponatur, acta Iudicij valida manent. *Suar. c. l. n. 8.* Plura de exceptione excommunicationis dicentur infra tit. 2. §.

## §. VI.

*An Iudex possit cogere partes ad personaliter comparendum in Iudicio, & an in eodem persona principales per se ipsas, ea, quæ facti sunt, proponere debeant?*

XLI. Assertio 1. Iudex non potest ordinariè cogere partes, ne quidem delegatus Papæ, ut personaliter in iudicio compareant: nisi ad hoc à Sede Apostolicâ speciale habeat mandatum: vel nisi causa sit criminalis: vel nisi ad juramentum de veritate dicenda, vel de calumnia præstandum, vel ob aliam juris necessitatem requiratur, ut partes personaliter se fiant coram Iudice. Ita statutum habetur in *c. Juris. 1. h. t. in 6.* Ratio decisionis est, quia

quia ordinariè in causis civilibus, ac pecuniarijs partes per se, vel per procuratorem in Iudicio litigare possunt. c. 2. *supr. de procurat. & l. fin. C. Eodem*, idcirco non potest Iudex partes compellere, ut personaliter coram ipso in Iudicio compareant, quia indultam à Jure beneficium nemini est auferendum, juxta *reg. jur. 17. in 6.* Ex causa tamen rationabili Iudex precipere potest, ut actor, vel reus in Iudicio personaliter se sistat, ut ex dicendis magis patebit.

XLIV. Notandum primò, Quamvis in hoc c. solum sermo sit de Iudice delegato Papæ, tamen idem dicendum est de Iudice ordinario, quod non possit compellere partes ad comparandum personaliter in Iudicio, nisi in certis casibus, adeoque, quia de eo non erat ullum dubium, nulla etiam mentio hic facta est: at verò de Iudice delegato à Papa dubitatur, an non possit partes ad hoc cogere, quia delegatus gerit vices Papæ, & regulariter quoad causam sibi delegatam, potest idem facere, quod ipse Papa; sicut ergo ipse Papa, vel alius Princeps supremus compellere, & jubere potest, ut partes, quæ Jurisdictioni suæ substant, personaliter in Iudicio se sistant, nam subditus Superiori suo, ob justam causam, eum ad Iudicium vocanti parere, & comparere debet, ideo videbatur, quod etiam delegatus Papæ, vel alterius Principis, partes ad comparandum personaliter cogere possit, *Gl. hic in princ. & V. Judicem delegatum.* Verùm delegato non censetur esse omnia concessa, quæ Papa potest, sed solum omnia illa, sine quibus causa ei commissa expediri non potest. c. *Præterea. §. de offici. deleg.* Ad quod non est necessarium, ut possit partes compellere ad personaliter comparandum in Iudicio, cum causa expediri possit, si compareant per procuratorem. *Gl. margin. hic lit. A. & Anchar. not. 1.*

Notandum secundò, Sunt tamen certi casus, in quibus non solum Iudex ordinarius, sed etiam delegatus Papæ, vel Principis compellere potest partes, ut personaliter se sistant in Iudicio. Veluti Primò in causis criminalibus criminaliter intentatis, in quibus procurator intervenire non potest: bene autem, si de crimine agatur civiliter, *Gl. hic V. Criminalis.* de quo supra dicta sunt supra. l. 1. tit. 38. n. 31. & 32. Item si Universitas ob crimen vocetur ad Iudicium, procuratorem mittere potest, *Anchar. hic not. 4.* quia per se ipsam tota comparere non potest: aliud est, si aliqui ex communitate crimen committant; tum enim comparere debent, si personaliter citentur. Secundò ad præstandum juramentum de veritate dicenda, & ad respondendum per illud ad positiones, & articulos, vel ad interrogatoria, *Gl. hic V. Dicenda, juncta Gl. margin.* Tertio ad juramentum calumniæ præstandum à partibus principalibus, de eo, quod credunt, & asserunt, *Gl. hic V. Juramento calumniæ.*

Quartò præter dictos casus hic expressos, etiam in alijs, in quibus id exegerit Juris necessitas, potest Iudex etiam delegatus cogere actorem, vel reum ad personalem comparitionem, ut si ipse principalis statum, & veritatem rei magis perspectam habeat, quam procurator, vel alius magis idoneus sit, juxta *cit. l. ult. præf. Gl. V. Iustiores. C. De procurat.* Vel si specialiter examinare oporteat qualitatem personæ, maturitatem ætatis, Iudicij discretionem. *arg. l. 2. C. de his, qui test. erant, imper. Gl. pen. hic, & Franc. n. 2.* Item, si Iudicia vehementia adant contra reum, potest cogi,

ut personaliter veniat, nam præsentem reo, inspecto ejus vultu, & quàm constanter respondeat, vel trepidè, facilius deprehendi poterit veritas. *Anchar. hic not. 4.* Poterit tamen citatus ad personaliter veniendum se excusare per procuratorem, allegatà justà causam impediendi ad non comparandum, ut quia senex, infirmus, vel valetudinarius, ita; ut nec equis vehi possit. *Franc. hic n. 2. & alij apud Barb. hic n. 4.*

XLV. Notandū tertio, Delegatus à Papa potest, non tantum in casibus hic expressis, sed etiam alijs cogere partes ad personaliter comparandum, si speciale ad hoc mandatum habeat; ut expressè dicitur in hoc c. quia tunc, sicut Papa id potest, ita & ipse similiter, *Gl. hic V. Speciale. Franc. n. 3.* Delegatus verò ab inferiore Papæ non potest citare personaliter, etiam ex speciali commissione delegantis, nisi in casibus hic expressis, quia tunc non videtur, quod causa alijs possit commodè expediri, & sicut Ordinarius tunc posset, ita & delegatus ab eo. *Franc. cit. loc.* Multò magis autem Iudex ordinarius potest subditos ex causa rationabili compellere, ut coram ipso personaliter se sistant extra Iudicium, si fortè egeat eorum consilio, vel auxilio. *Gl. hic V. In Iudicio, & Anchar. not. 3. Franc. n. 4.*

Notandum quartò, Si Iudex ordinarius, vel delegatus vocet partes ad personaliter comparandum in Iudicio, non expressè causam in ipsa citatione; ea non valet, nec tenetur citatus in propria persona venire, nisi causa ex tenore citationis ipsi innotescat. *Anchar. hic not. 1. Franc. n. 3.*

XLVI. Assertio 2. Personæ principales ipsum factum non per Advocatos, sed per se ipsas proponere debent in Iudicio: nisi sint adeò simplices, & indiscretæ, ut earum defectus per alios, de Iudicis licentia, supplendus sit. Ita habetur statutum in c. *Pastoralis, 14. h. 1.* Ratio est, quia quisquè melius scire præsumitur, quæ ad se, seu factum proprium spectant, quàm sciant Advocati, vel alij extranei. c. *Ab excommunicato, 41. & ibi Gl. V. de facto suo, de rescript.* Quia ergo veritas ab ijs, qui eam melius sciunt, inquirenda est, c. *Scriptum, 40. & ibi Gl. V. Ubinari de elect.* ideo ea, quæ in facto consistunt, partes litigantes non per alios, sed per se ipsas debent in Iudicio proponere. *Hostiens. hic V. Ut principales, ætatem enim habent, & de se loquantur. Abb. hic in fine.*

Quin imò pars principalis etiam litem contestari debet per se, & non per Advocatum, quia litis contestatio fit per propositionem, & petitionem, ac responsum ad illam. *Abb. hic n. 1.* Et quia per litem contestationem principalis fit Dominus litis, & quasi contrahit cum adversario, eique obligatur ad prosequendum Iudicium, ideo constare debet, an ipsam litem consentiat. Deinde debet principalis etiam per se respondere ad interrogationes Iudicis, & positiones adversarij, & non advocatus; ut tradit *Gl. in c. 1. V. Statuimus de confess. in 6. Abb. hic n. 8. & Decius n. 2.* Quamvis Advocatus interesse possit, ut caveat, ne per cavillosam, obscuram, aut æquivocam positionem clientulus decipiatur; ut monet *Hostiens. hic V. Proponent. & Jo. Andr. n. 3.*

XLVII. Notandum hic præterea primò, Licet Advocatus non possit proponere, quæ ad factum pertinent, nec ad ea respondere, ne subtilibus cavillationibus avertat clientulum à manifestanda veritate; *Hostiens.*

*Hofstiens. hic. V. Non per Advocatos.* ea tamen, quæ ad jus spectant, & in iure consistunt, potest advocatus expedire, videlicet libellum, interrogatoria, & articulos probatoriales formare, positiones, & exceptiones ordinare, nam hæc ad jus pertinent, & ineptè formari possunt. *Hofstiens. hic. V. Factum.* & *Io. Andr. n. 3. Abb. n. 7. in fine.* Verumtamen etiam ipse principalis advocatum de ipso facto, eiusque circumstantiis instruire, & bene informare debet; cum ex facto jus desumendum sit, sive secundum varietatem factorum, varietate actionis institui, & varia jura depromi debeant. *Hofstiens. hic. V. Factum.* & *Io. Andr. n. 4.* Est autem hic sermo solum de avvocato, non autem de procuratore: quia, cum ipse quoque litem contestetur, & dominus instantiæ liti efficiatur, c. 2. de procurat. in 6. adeo, ut etiam sententia ferenda sit in personam procuratoris, l. 1. C. de sentent. & interloc. omn. Iud. ideo censetur esse persona principalis, ita, ut ea, quæ in facto consistunt, etiam in Iudicio proponere possit; cum cuilibet regulariter sit permittum constituere procuratorem, per quem proponat factum, & respondeat in Iudicio, & litem contestetur. l. 1. ff. de procurat. Ioan. Andr. hic n. 5. & Abb. n. 5. ubi addit, si tamen dominus, seu principalis iustior esset, quam eius procurator, tunc Iudex ex officio posset providere, ut ipse dominus veniat ad respondendum per se. Quare casus hic excepti ad Gl. fin. nihil faciunt ad rem, quia in illis non agitur de avvocato, sed de procuratore, per quem responderi potest in Iudicio etiam quoad ea, quæ in facto consistunt. *Abb. hic. n. 5. 6. & 7.*

Notandum secundò. Personæ simplices, quæ perfectam Iudicij, seu rationis discretionem non habent, possunt stare in Iudicio, agendo, & se defendendo, ita tamen, ut ea, quæ sunt facti, proponere possint per Advocatos; ut habetur in fine huius c. quia simplicitati favendum est. Inter personas autem huiusmodi simplices, & indiscretas non numeratur amens, seu rationis impositus, quia is non potest per se stare in Iudicio, sed per procuratorem, seu curatorem litigare debet, qui proponet ea, quæ ad factum pertinent, & non Advocatus. l. 1. ff. de curat. furios. Neque etiam prodigus, postquam ei administratio bonorum est interdixta, in Iudicio per se contendere potest, sed per procuratorem, seu curatorem ei datum. *cit. l. 1.* qui supplebit eius defectum, proponendo etiam ea, quæ facti sunt; sed antequam administratio bonorum interdixta est prodigo, si manifestè constet, esse dilapidatorem rerum suarum, numerari potest inter personas indiscretas, de quibus hic est sermo, adeoque etiam ea, quæ ad factum pertinent, per Advocatum in Iudicio proponere poterit. *Abb. hic. n. 7.* Porro personæ huiusmodi simplices, & indiscretæ, etsi non sint omnino integræ ad standum per se in Iudicio, quia indigent, ut suppleatur earum defectus per Advocatum; attamen ad alios actus legitimos, & extrajudiciales admitti debent, ita, ut v. g. testamentum condere, & matrimonium contrahere possint. *Decius*

*hic n. 3. not. 3.*

\*\*\*

## S. VII.

*An, qui promissit, se litigaturum coram Iudice, si postea non compareat ad litigandum in Iudicio, censendus sit contumaciter abesse, & puniri possit tanquam contumax?*

XLVIII. De hoc agitur in c. *Quodvult deo.* 1. h. t. quod est desumptum ex Concilio Africano c. 54. Nam, cum Quodvult deus Episcopus Centuriensis, ad petitionem adversarij, in Concilium introductus fuisset, interrogatus fuit, an cum adversario suo velit experiri (quod hic sumitur pro defendere, seu respondere in Iudicio, licet aliàs etiam ponatur pro agere, ut notat Gl. hic. V. *Experiri.*) primò id promissit: sed altero die renuit, & discessit. Quare Concilium statuit, ac decrevit, ut nullus eidem (Episcopo) communicet (& sic fuit excommunicatus) donec satisfactioe præmissa, fuerit absolutus: at verò Episcopatum ipsi de iure adimi non posse, antequam causa sit finita.

XLIX. Notandum primò. Quamvis *Decius hic lect. 1. n. 4.* aliqui nonnulli putent, Concilium hoc fuisse universale, seu oeconomicum, probabilius tamen est, fuisse provinciale tantum, ut fusè probat *Beroius hic n. 7. & seqq.* ubi respondet ad argumenta *Decij, & Barbof. in prætermis. & addit. ad Collect. n. 7. & seqq.* Poterat autem olim Concilium provinciale omnes causas Episcoporum etiam criminales cognoscere; ut colligitur ex hoc c. & tradit Gl. *ibid. V. Interrogatus.* quamvis criminales definire non poterit Concilium Provinciale, in consulto Romano Pontifice, c. *Accusatus.* 5. & c. *Quamvis.* 7. *caus. 3. q. 6.* Sed hodie hoc mutatum est per *Concil. Trident. sess. 25. c. 5. de reform.* quoad causas criminales graviiores, quæ privationem, vel depositionem merentur; ex enim retervata sunt Papæ, ut ab eo solo cognoscantur, ac terminentur: minores verò causæ criminales Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognosci, ac terminari debent, vel à deputandis per Concilium Provinciale. Porro, quamvis Concilium Generale reculari non possit, quod errare non potest, nec ab eo appellari: Provinciale tamen tanquam suspectum reculari potest, quale erat hoc Africanum, quia ab illo appellari potest, quamvis non facillè contingere soleat, ut totum Concilium, vel Universitas fiat suspecta. *Abb. hic. n. 14. & Dec. in 1. lect. n. 16. contra Gl. hic. V. Interrogatus;* & sumitur ex c. *ult. caus. 3. q. 5. & Clem. 2. de sent. & rejudic.* ubi tota civitas fuit reculara, ergo & Concilium Provinciale potest, cum nullo iure cautum sit, ne recusetur. *Barb. hic in prætermis. n. 19. & seqq.*

L. Notandum secundò. Si quis coram Iudice sedente pro Tribunali promittat, se cum adversario litigaturum, etiam si lis nondum fuerit contestata, non potest postea exceptionem fori declinatoriam opponere, & Iudicem reculare, nisi nova causa superveniat, vel antiqua, quæ latebat, & ignorabatur, detegatur. *Abb. hic. n. 5. idemque de confessione facta coram*

## S. I.

*An Iudex secularis tractare, & cognoscere possit causas Ecclesiasticas?*

Præmittendum, quod negotia, & causæ Ecclesiastica dicuntur, quæcunque ad Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas spectant: & harum causarum alia sunt merè, ac propriè spirituales, quæ propriè spectant ad spirituale regimen Prælatorum Ecclesiæ, ut sunt causæ beneficiaræ, decimales, matrimoniales; & universim omnes illæ, quæ vel ad Dei cultum, vel ad spiritualem animarum salutem, & à peccatis curarionem spectant. Aliæ sunt merè temporales, ut quæ sunt de Ecclesiasticorum dominio, contractibus, testamentis, ac similibus: & rursum alia sunt civiles, alia criminalia. *Abb. in c. 2. h. r. n. 2. nor. 3.* & alij Canonistæ communiter, de quibus singulis nunc agendum.

LI. Assertio I. Non potest Iudex laicus cognoscere causas merè spirituales, neque propriè auctoritate, neque ex commissione, seu delegatione Prælatorum Ecclesiasticorum, exceptâ plenitudine potestatis Papalis, per quam laico tales causæ committi possunt. Sumitur ex c. *Decernimus. 2. h. r.* quod est desumptum ex Synodo Eugenij Papæ, ubi generaliter decernitur, ut laici Ecclesiastica negotia tractare non præsumant. Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi (in antiqua compilatione legitur, Archiepiscopi, *Gl. marg. hic.*) alique Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis, maxime de illis, quæ spiritualia sunt, secundum laicorum iudicium disponere non debent, neque propter eorundem prohibitionem, seu oppositionem, jurisdictionem Ecclesiasticam exercere intermittant. Ratio est, quia laicis nulla est attributa potestas disponendi de rebus Ecclesiasticis, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. c. *1. dif. 96. c. Ecclesia. 10. de Constitut. c. fin. in princ. de reb. Eccles. non alien. nam jurisdictione Ecclesiastica est diversa à seculari, eique nullo modo subordinata, sed superior illâ. Extrav. unic. de major. & obed. inter communes.* Quamvis autem laici non possint tractare causas spirituales auctoritate propriâ: possunt tamen illas tractare ex delegatione, seu commissione Papæ. *Gl. hic. V. Non præsumant.* non autem à Prælatibus inferioribus delegari possunt laicis causæ spirituales, ut dictum *supra l. 1. tit. 29. n. 34.* quia solus Papa ex plenitudine potestatis suæ potest reddere habiles laicos ad tractandas res spirituales, ad quas, secundum se, sunt inhabiles. *Decius in cir. c. 2. n. 5. h. r.* Porro nomine Prælati Ecclesiastici hic propriè intelliguntur, qui jurisdictionem ordinariam habent. *Gl. fin. hic. & Abb. n. 16.*

LII. Hinc infertur, quod Iudex secularis, neque de Jure patronatus cognoscere, seu judicare potest, quia vel secundum se, & ex natura sua, seu objecto, adeoque intrinsecè res spiritualis est, ut plures DD. existimant, de quo suo loco: vel saltem est quid antecedenter annexum cum spiritualibus: adeoque eius cognitio ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet, ut constat ex c. *Quantò. 3. h. r.* ubi Papa Alexander III. ad Regem Angliæ sic rescribit: *Causa juris patronatus*

ram Iudice sedente in loco Iudicij docet *Abb. in c. At Clerici. 4. n. 6. h. r. Arg. l. Voluit. 4. ff. de interrog. in iure faciend.* Quare consultum est, ut Iudex Reum citatum ad comparandum in loco Iudicij, coram se, & presente adversario, interroget, an litigare velit, necne? si enim respondeat, se litigaturum, non potest postea amplius recusare Iudicem. *Abb. c. l.*

Sed ob stare videtur text. in l. *Si convenit. 18. ff. de jurisd. ubi dicitur: Si quis promisit, litigare coram certo Iudice, potest, mutata voluntate, resillire, si Iudex ille nondum sit aditus.* Respondent communiter DD. apud *Abbat. hic. n. 17.* quod lex illa loquatur de eo, qui consensit in alienum Iudicem; hoc c. verò de eo, qui consensit in Iudicem proprium: nam ibi fuit factum pactum de danda, seu proroganda jurisdictione in Iudicem non suum, quo casu licet resillire, ante litem contestatam: in hoc verò c. agitur de pacto non declinandi jurisdictionem sui Iudicis, qui potest ob aliquam legitimam causam recusari potuisse, vel ex privilegio, à quo recedere non licet, postquam semel in Iudicem consensit, nisi ex nova causa superveniente. Alij respondent, quod illa lex loquatur de nuda conventionione, seu pacto; ut colligitur ex verbo, *Convenit:* in hoc verò c. fit sermo de solemnibus stipulatione, quia reus interrogatus respondit, & promisit, se litigaturum, à qua resillire non licet. *Barbof. in Collectan. hic. n. 6.* sicut etiam in l. *pen. C. de pact. non de nudo pacto est sermo, sed de pacto adjecto in ipso contractu, vel in continenti post, quod obligationem parit. l. In bonæ fidei. 13. C. eod. Fachin. l. 1. contror. c. 61.*

Noandum tertio. Contumax in non comparendo, vel si ante tempus, aut sine licentia Iudicis discedat, potest excommunicari, etiam si Episcopus fuerit, ut patet ex hoc c. nec debet absolvi ab excommunicatione, nisi præmissâ satisfactione: potest etiam privati redditibus beneficij, cum non serviat Ecclesiæ, non tamen ipso beneficio, cum non debeat duplici pena affici. *Abb. hic. n. 6. & 8.* Multò minùs Episcopus propter huiusmodi contumaciam alicui adimmi potest, nisi per annum in contumacia persistit. c. *Rogatus. 36. & c. seq. caus. 1. r. q. 3.* Maxime si lis non fuerit contestata. *Gl. fin. hic.* Nec refert, quod in causa huius c. nulla præcesserit monitio, quæ requiritur ad contumaciam, & consequenter excommunicationem incurrendam: quia, si notoriè constet de contumacia, seu inobedientia subditi nolentis obedire Ecclesiæ, potest excommunicari, sine alia prævia monitione. c. *Venerabilibus. 7. §. Porro de sent. excomm. in 6. locuti in casibus huius c. Episcopus interrogatus in Iudicio publicè dixit, se velle respondere apud Concilium; & tamèn sequenti die publicè in eodem dixit, ad sibi non placere, & publicè discessit, adeoque notoria fuit eius contumacia. *Barbof. in præterm. hic. num. 17.**

## S E C T I O II.

## DE CAUSIS, QUAS IUDICARE, &amp; COGNOSCERE POTEST IUDEX, tum secularis, tum Ecclesiasticus.

Tomus II.

„ tū ita conjuncta est, & cōnexa spiritualibus causis, ut nō nisi in Ecclesiastico Iudicio definiti possit. Ratio est, quia jus patronatūs ordinatur ad spirituales beneficij collationem, vel institutionem presentati; ideōque est causa saltem extrinsecē spiritualis, propter connexionem cum re spirituali: de connexis autem, seu accessoriis idem debet esse iudicium, ac dispositio, c. 3. de constir. & quae religiosis adherent, religiosa sunt, l. 43. ff. de rei vind. & cū jus patronatūs sit aliquid quodammodo mixtum ex spirituali, & temporali, ideo assumit, & sequitur naturam simplicis dignioris, videlicet rei spiritualis: dignius enim ad se trahit minus dignum, ejusque cognitio potius ad Iudicem Ecclesiasticum, quā secularem spectat. *Gl. hic. V. Connexa. & Abb. n. 1. 2. & 3.*

Neque obstat, quōd, sicut laicus non potest possidere Jus merē spirituale, v. g. Jus decimandi. c. *Causam. 7. de prescrip.* & tamen potest possidere, vel quasi possidere Jus spirituali annexum, videlicet Jus patronatūs, secundū *Gl. fin. hie communiter receptam.* ita similiter, quamvis Judex secularis non possit cognoscere, & tractare causam merē spirituales, poterit tamen causam spirituali annexam. Respondetur enim neg. conseq. quia laicus possidet quasi Jus patronatūs, quod spirituali annexum est, ex speciali concessione, & gratiā Ecclesiā: adeōque est gratia, & beneficium laicis ab Ecclesia concessum, ita quidem, ut, si patroni intra debitum tempus presentare Clericum negligant, ordinatio, seu institutio ad Episcopum spectet, juxta c. *Quoniam. 3. de Jure patron.* Ergo pari ratione cognoscere, & judicare de Jure patronatūs ad Iudicem Ecclesiasticum spectat, *Hostiens. hic & Abb. n. 4.* Neque enim Jus patronatūs ita ab Ecclesia est concessum laicis, & in eos translatum, quin adhuc ejus Iudicio, & dispositioni sit subiectum, ut colligitur ex cit. c. 3. ibi: *Potestare, in qua eos* (scilicet patronos) *Ecclesia hucusque sustinuit*, de Jure patron. Neque concessio hāc à Jure communi exorbitans, & ex gratia facta laicis extendi debet, maxime in praerudicium Ecclesiā. *Abb. hic n. 8.*

LIII. Ceterum, quōd dictum est, Iudicem secularem non posse cognoscere causam Juris patronatūs, id intelligi debet per se, ac principaliter; nam accessorie, ac secundario potest: sicut enim venditā universitate, seu dominio bonorum, v. g. castro cum suis pertinentijs, accessorie etiam transit in emptorem Jus patronatūs, quod adharet illi dominio, c. *Ex litteris. 7. de Jur. patron.* licet aliās secundū se vendi nequeat: ita, quamvis Judex secularis non possit per se, ac principaliter judicare de Jure patronatūs; potest tamen accessorie, proferendo sententiam, per quam condemnatur possessor ad tradendum dominiū, seu castrum venditum, unā cum omnibus Juribus annexis, etiam Jure patronatūs, quamvis nec in libello, nec in sententia fieri debeat expressa mentio de Jure patronatūs, quia aliās conteretur de eo judicare velle principaliter. *Abb. in cit. c. 3. n. 9. h. t. & ibid. Decius n. 6.* Sic etiam Princeps secularis, v. g. Imperator, confiscando omnia bona alicuius, ob crimen perduellionis, sive laesae majestatis, consequenter etiam privat reum Jure patronatūs bonis illis annexo, licet directē, ac per se illam privare non possit, ut docet *Gl. in c. Filijs. 31. V. Propinquus caus. 16. q. 7. Abb. & Decius locū cit. contra Felin. ibid. n. 3.*

LIV. Simili ratione ad Ecclesiasticum Iudicem spectat cognoscere, & judicare de Jure sepulturae; ut docet *Abb. in cit. c. Quanto. 3. n. 10. h. t.* Quia hoc Jus, secundū se, est spirituale, vel saltem spirituali annexum, ad quod ordinatur, videlicet ad locum sacrum, Ecclesiam, vel cæmeterium. ad eundem autem Iudicem pertinet judicare de principali, & connexis. Et quamvis laicus possidere possit Jus sepulturae in loco factō Religioso ex eo, quōd in illum illatum sit corpus hominis mortui, juxta l. 1. ff. de mortuo inferend. propriè tamen laicus non possidet, nec quasi, sepulchrum existens in loco sacro, Ecclesiā, vel Cæmeterio, sed solum ex permissione Ecclesiā laici tolerantur in quasi possessione Juris sepulturae. *Abb. c. l. Porro ad Iudicem Ecclesiasticum spectat cognoscere, & judicare de Jure sepulturae, sive agatur actione reali, & queratur, an, vel cui Jus sepulturae in aliquo loco Ecclesiā, vel Cæmeterij competat: sive intenter actio personalis; ut si quis promiserit alteri, ejusq; heredibus Jus sepulturae in sepulchro majorum suorum, & dubitetur, an hāc promissio valeat? ad Ecclesiasticum forum pertinet id decidere: quia est promissio facta de sepultura in loco sacro. Abb. hic n. 11.* Sin autem tantum sit controversia de facto, an Titius promiserit Cajo Jus sepulturae, necne; vel de impensis funeris; etiam secularis Judex cognoscere poterit. *Abb. c. l. & Alexand. in cit. c. Quanto. n. 16. h. t.*

LV. Assertio 2. Negotia, & causas merē temporales Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum laici tractare possunt, ita tamen, ut nulla super ipsos Clericos praeminentia, gubernatio, aut potestas eis conferatur. *Abb. in cit. c. 2. n. 10. h. t. & ibid. Decius n. 9. Silvest. V. Laicus. q. 1.* Quare non prohibetur Praelatus, vel Capitulum, Sede vacante, laicum constituere Oeconomum, committendo illi curam, & administrationem reddituum temporalium, vel praeficiendo illum fabricae Ecclesiā, ut redditus annuos recipiat, & expendat, obligatūque sit rationes reddere Praelato Ecclesiastico: quia, licet ipsum Jus percipiendi redditus, & obventiones Ecclesiasticas sit quid spirituale, non tamen ipsi redditus. Accedit, quōd laici in his magis sint experti, quā Clerici. Verum non potest hujusmodi officium, seu cura colligendi proventus temporales Ecclesiā committi laico, si talis collector constitui soleat, non ut merus executor, seu minister, sed ita, ut auctoritatem, seu praeminentiam aliquam habeat super ipsos Clericos; ut notat *Abb. in cit. c. 2. n. 10. & 11. h. t.* Sed neque potest laicus constitui generalis Administrator omnium bonorum temporalium, & Jurium spiritualium Ecclesiā, vel personarum Ecclesiasticarum, ita, ut omnia auctoritative gubernet. *Abb. c. l. n. 9.*

LVI. Assertio 3. Non potest laicus, auctoritate propria, tanquam Judex ordinarius, vel quasi ordinarius, cognoscere causas Judiciales pecuniarias, seu merē civiles, quae inter Clericos, vel contra Clericos, aut Ecclesias à laicis moventur: potest tamen tanquam Judex delegatus, sive ex commissione Episcopi, aut alterius Praelati Ecclesiastici. ita *Gl. in cit. c. 2. V. Non presumant. h. t. & ibid. Abb. n. 4. & 5. Decius n. 5. Felin. n. 1.* Prima pars colligitur ex cit. c. 2. Et ratio est, quia nemo potest tanquam Judex ordinarius judicare, vel condemnare alios, nisi

ex of-

ex officio proprio habeat superioritatem, & potestatem aliquam in illos, qualem non habet laicus in Clericis, vel Ecclesiis, adeoque nec potest, ut Judex ordinarius, cognoscere, vel judicare causas etiam civiles Clericorum, vel Ecclesiarum: nam laici non praesent, sed subesse potius debent Clericis, seu Ecclesiasticis personis, quarum dignitas major, & altior est. *c. Duo sunt, 10. dist. 96.* Ratio 2. Partis est, quia Judex delegatus quasi proprium nihil habet, sed utitur auctoritate, & Jurisdictione delegantis. *l. 1. §. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. est Jurisd.* Et sic Jurisdictio, quam exercet laicus in Clericos, vel Ecclesias, ex delegatione Praelati Ecclesiastici, censenda est potius Ecclesiastica, quam secularis. Veruntamen ad Universitatem causarum civilium, quae inter Clericos, vel Ecclesias decidenda sunt, laicus non potest constitui delegatus, nec ea illi delegari potest; ut ex communi docet *Felixa, in cit. c. 2. n. 1.* Quia Jurisdictio delegata ad Universitatem causarum aequiparatur ordinariae, vel quasi ordinaria censetur, ut alibi dictum.

Sed objici potest. Clericus non potest consentire in laicum Judicem, etiam cum licentia, & consensu Episcopi. *c. Significasti, 28. infr. de foro compet. Abb. neque ex commissione Episcopi potest laicus esse Judex Clerici. Resp. Neg. conseq. quia priore casu, prorogatur Jurisdictio ordinaria in laicum, & sic laicus judicaret Clericum Jure proprio, quod fieri non potest, nec quidem cum consensu Episcopi. *cit. c. Significasti.* Et si ab ipso appellatio fieret, appellaretur ad Superiorem ipsius laici: secus est in posteriore casu, quia delegatus utitur Jure, & vice delegantis, cum nihil habeat proprium, & sic Jurisdictio delegati ab Episcopo censetur esse Ecclesiastica, quia is judicat nomine, & auctoritate delegantis Episcopi, ad quem etiam a delegato appellandum est. *Abb. in cit. c. 2. n. 5.**

LVII. Porro, quod dictum, laicum non posse tanquam Judicem ordinarium cognoscere causas civiles Clericorum, id limitari debet, nisi sint causae feudales, nam de his cognoscere potest, ac debet Dominus feudi, sive is sit laicus, sive Ecclesiasticus, dummodo actor coram illo possit justitiam consequi, alioquin Judex ordinarius loci adiri poterit; ut constat ex *c. Ceterum, 5. h. t.* Nam si aliqui obtrineant feudum ab Ecclesia, v. g. Monasterio aliquo, orta controversia inter vassallos circa feudum, ordinarius Judex, v. g. Episcopus loci non potest de illo cognoscere, multo minus sententiam excommunicationis, vel interdicti in vassallos ferre, aut promulgare, sed causa illa, seu questio feudalis coram Domino feudi (qui in casu praesenti est Abbas Monasterij; idem tamen dicendum, si laicus esset Dominus feudi) tractari, & cognosci debet, nec Ordinarius se immiscere potest, dummodo dominus feudi velit administrare justitiam inter vassallos, & ipsentiam parati sint respondere coram illo. *Gl. hic v. Quam diu parati.*

LVIII. Notandum primò, Dominus feudi habet Jurisdictionem ordinariam à lege sibi concessam in causa concernente feudum, de qua inter duos vassallos orta est controversia; ut habetur in *Constitut. Imperiale, in fine. l. 2. feud. tit. 55. de prohib. feudi alienat. per Frider.* Lex autem tribuit Jurisdictionem ordinariam. *Abb. hic n. 1. & 2.* Idque procedit, sive

feudum proveniat ab Ecclesia, sive à laico: nam si Ecclesia, vel Clericus sit Dominus directus feudi, habet Jurisdictionem, quoad feudum, etiam in Clericos vassallos, excluso Episcopo, seu Ordinario loci; ut colligitur ex hoc *c. Ex t. Verum, 7. de foro compet. Abb. hic n. 6.* Quia Jurisdictio attributa est Domino feudi privative, respectu Jurisdictionis Ordinarij. Si verò Ecclesia, vel Clericus habeat feudum à Principe seculari, licet in alijs causis non possit conveniri, nisi coram ordinario Judice Ecclesiastico, *c. Cum sit, 8. de foro compet.* tamen in casu, seu questione feudali conveniri, & respondere debet coram Domino feudi: quia hoc casu Dominus feudi etiam laicus est Judex ordinarius Clerici, *cit. c. Verum & c. ex transmissa. 6. de foro compet.* Et Jura feudi, sive leges feudales approbatae sunt ab Ecclesia, *in c. Novit, 13. h. t.* Ut ex communi docet *Dec. hic n. 4.* Ad hoc autem, ut Dominus feudi competat Jurisdictio in vassallos, non solum requiritur, ut controversia sit super feudo, seu Jure feudali, ita, ut decidenda sit secundum leges feudorum, sed etiam constare debet, eos esse vassallos, ut eximantur à potestate Ordinarij. *Dec. hic n. 3. not. 2. in fine.*

Notandum secundò, Si Dominus feudi per negligentiam, vel malitiam nolit justitiam administrare vassallo actori, vel non possit propter rebellionem vassalli conventi, tum adiri potest Judex ordinarius ipsius Rei conventi. *Innocent. hic in fine. Abb. n. 5. Dec. n. 3. not. 4.* Nam generaliter loquendo, si Judici inferiori per specialem legem, vel praescriptionem competat Jurisdictio, tum propter illius negligentiam, aut malitiam, quia non vult; vel impotentiam, quia non potest exequi justitiam, devolvitur Jurisdictio ad Ordinarium Rei conventi, ergo etiam, si Dominus feudi id negligat, vel non possit, quia Jurisdictio videtur à lege concessa Domino feudi, ut administret justitiam: quod si non fiat, ea remanet penes Judicem ordinarium. *Abb. hic n. 12.* Nisi tamen Dominus feudi simul sit Judex ordinarius, non supremus, sed alteri subiectus: tum enim Superior ipsius mediatas coget dominum feudi, seu Judicem immediatum ad justitiam administrandam, vel ipse ejus defectum supplebit. *Gl. in cit. Constit. Imperiale, §. Praeterea. v. Duos. Abb. c. l.* Sed de Judice causarum feudalium plura dicentur tit. seq. ubi ex instituto de hoc agitur.

LIX. Assertio 4. Sicut in causa civili, ita multò magis in causa criminali laicus non potest esse Judex ordinarius Clericorum, easque cognoscere auctoritate propria, non obstante quavis contraria consuetudine; ut constat ex *c. Clerici, 3. h. t.* Ubi Papa Lucius III. ita rescribit: Cùm Imperator dicat, quòd Leges non dedignantur SS. Canones imitari, in quibus generaliter statutum est (*c. 1. 2. & pluribus seqq. caus. 11. q. 1.*) ut Clerici de omni crimine coram Iudice Ecclesiastico (non seculari) debeant conveniri, consequens est, per nullam in hac re consuetudinem contrariam Canonibus posse praedictum generari. Ratio prioris partis est, quia Judex secularis nullam habet Jurisdictionem, aut potestatem in personas Ecclesiasticas. *c. Ecclesia, 10. de constit.* Maxime in causis criminalibus, quia id cederet in grave opprobrium, seu contemptum Status, seu Ordinis Clericalis, si Judices seculares, qui statu inferiori

res sunt, Clericos ob crimina eorum judicarent, ac punirent. Ratio posterioris partis est, tum quia nulla consuetudo, quamvis immemorialis, prævalere potest contra libertatem Ecclesiasticam. *Auth. Casfa. C. de SS. Eccles. c. Gravem. § 3. de sentent. excomm.* Consuetudo autem, per quam tollitur privilegium à SS. Pontificibus, & Imperatoribus generaliter Clericis concessum, ne in causa criminali, vel civili trahantur ad Judicium, seu forum seculare, est contraria Immunitati Ecclesiasticæ: ergo nullo unquam tempore præscribi, vel induci potest, quia est irrationabilis, & injusta, & corruptela potius censenda, *Hosiens. hic in fine.* Tum quia, ut argumentatur Pontifex in hoc c. Lex secularis non potest tollere statuta SS. Canonum, inter quæ est etiam hoc, ut Clerici non conveniantur coram seculari Judice, sed coram proprio, & Ecclesiastico: ergo neque consuetudo id secularibus inducenda potest abrogare hanc exemptionem Clericorum. Conseq. probatur, quia consuetudo est quasi altera lex, & pro lege custoditur. *l. de quibus. 32. ff. de legib.* Et consuetudo inducitur tacito consensu populi; lex verò expresse consensu Principis, qui validior videtur, & fortior, quam tacitus consensus. *arg. c. Nullus. 28. de elect. in 6.* Nec refert, quòd consuetudo derogat legi, quia id est ex legis permissione. *Abb. hic n. 4.* Sicut ergo Magistratus secularis non potest per legem, vel statutum tollere privilegium exemptionis concessum Clericis, sed observare debet decreta SS. Canonum, ita neque per consuetudinem abrogare illud potest. Neque etiam valet consuetudo immemorialis, ut in causis civilibus Clerici trahantur ad forum seculare, quia ea quoque est contra libertatem Ecclesiasticam. *Abb. hic n. 6.*

LX. Porro, quod dictum est, laicum non posse cognoscere, vel judicare de criminibus Clericorum, tanquam Judicem ordinarium, id extendendum est, ut neque ex commissione, seu delegatione Prælati Ecclesiastici, v. g. Episcopi, causas criminales Clericorum cognoscere possit; ut docet *Abb. in cit. c. 2. n. 4. § 5. h. t. & ex communi Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 41. n. 5.* Ubi numero 6. ait, quòd neque Clerico, & laico simul delegari possunt. Ratio est, quia id quoque cederet in injuriam, & contemptum Ordinis Clericalis. Excipitur, quòd Papa per plenitudinem potestatis suæ potest causas criminales Clericorum etiam laico, v. g. Principi delegare; ut docet *Gl. communiter recepta in c. 1. P. Præter dist. 96.* Non tamen potest Papa laicis conferre Jurisdictionem ordinariam in Clericos, quam proprio Jure, & auctoritate exerceant, ut ex communi docet *Clavus c. l. n. 8.* Nam secundum ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ à Christo institutum, Ecclesiarum Prælati, seu Judices ordinarij esse debent Clerici, non laici: quia non decet, ut Clerici à laicis judicentur, quippe qui gradu, & ordine in Ecclesia sunt inferiores, ac subditi. *Laym. l. 4. tract. 9. c. 8. n. 3.* Quod autem dictum est de laicis, idem intelligendum est de Clericis conjugatis, qui in talibus æquiparantur laicis. *Abb. in cit. c. 2. n. 15. h. t.*

LXI. Ceterum laicus potest esse Consiliarius, & Assessor Principis Ecclesiastici, v. g. Episcopi, etiam in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, quia officium Assessoris nullam habet annexam Jurisdictionem, idcirco ipse Judex præsens esse debet in causâ cogni-

tione, cum Assessor per se solus ea audire nequeat, & sententia ab Assessore lata irrita est. *Gl. fin. in l. 1. de Offic. Assess. Abb. in cit. c. 2. n. 13. h. t.* Quamvis nudum ministerium legendi sententiam exhibere possit, ut praxis confirmat: sic enim Prælati in magna dignitate constituti mandare solent suo Cancellario, ut sententiam depositionis contra Clericum in scripto legat. Item potest laicus esse Notarius Episcopi in causis spiritualibus, quia nudum ministerium exhibet, quod laicis non est prohibitum. *c. 1. De Procurat. in 6. & ex communi docet Decius in cit. c. 2. n. 18.* Sic quoque possunt laici, ex mandato Prælati, tanquam executores Clericum capere, torquere, &c. Similiter, licet ipsum Jus eligendi, vel confirmandi Prælaturam, vel recipiendi Monachum non possit committi laico, nisi ex plenitudine potestatis Papalis; ut ex communi docet *Alexand. de Nevo in cit. c. 2. n. 18. h. t.* Potest tamen laico committi facultas eligendi, vel confirmandi, vel etiam acceptandi professionem Monachi, tanquam nudo Ministro, seu Executori. *Dec. c. l. n. 6.*

LXII. Assertio 5. Laici non possunt de causis Ecclesiasticis judicare, quantumvis Prælati Ecclesiastici negligentes sint in hujusmodi causis cognoscendis; prout sumitur ex c. *Qualiter. 17. h. t.* Ubi præcipitur Prælati, seu Judicibus Ecclesiasticis, ut laicis conquerentibus de Clericis, plenè justitiam exhibere, seu administrare curent, & appellationes frustratorias, seu frivolæ (quæ fiunt ad diffendum negotium tantum, sine causa justa, & rationabili. *Hosiens. hic V. Frustratoris.*) rejiciant, quas Clerici sæpe in gravamen laicorum interponunt: ne ob defectum justitiæ Clerici ad forum seculare à laicis trahantur (de facto, nam de jure hoc fieri non potest, ut sequitur, *Hosiens. hic V. Trahantur.*) quod fieri non debet, sed omnino prohibetur.

Ratio est, quia licet, ob defectum justitiæ, in foro seculari, Judex Ecclesiasticus cognoscere possit de causis pertinentibus ad forum seculare, ita, ut propter negligentiam, vel malitiosam dilationem Judicis secularis devolvatur Jurisdictio ad Judicem Ecclesiasticum, c. *Ex transmissa. 6. § c. Licet. 10. de foro compet.* Non tamen, vice versâ, Judex secularis supplere potest defectum, vel negligentiam Judicis Ecclesiastici; ut tradit *Gl. hic V. Prohibemus, & ibid. Abb. n. 7. Azor p. 1. lib. 5. c. 14. q. 2.* Ratio disparitatis est, tum quia Judex major, seu Superior supplet negligentiam Judicis minoris, seu inferioris, non autem minor majoris, nisi in casibus Jure expressis: sed Judex secularis minor, & inferior est Judice Ecclesiastico, cui ratione altioris finis est subordinatus. *arg. c. Denique hi. 5. dist. 96. & Extravag. 1. De major. & obed. inter communes.* Tum quia Judex secularis est omnino incapax Jurisdictionis Ecclesiasticæ. *arg. c. Causam. 7. de præscript.* Saltem quæ Jure proprio, & ordinario ipsi competat: nam ex delegatione S. Pontificis potest etiam laico conferri Jurisdictio Ecclesiastica, v. g. potestas excommunicandi. *Abb. in c. 2. n. 5. h. t.* Sed Judex Ecclesiasticus est capax Jurisdictionis secularis, quæ de rebus civilibus, & inter laicos exercetur: imò olim omnes causæ civiles fidelium, Clericorum, & laicorum ad Episcopum loci deferebantur; ut constat ex *l. Episcopale. 8. C. de Episcop. audiend.*

Confirmatur, quia, licet ob defectum justitiæ in Eccle-

Ecclesiastico Iudice, recurri possit, ac debeat ad competentem Iudicem, videlicet Superiorem Ecclesiasticum ipsius, *tot. tit. de suppl. neglig. Prælat. n. 1.* n. 1. quoniam in iure tributa est iurisdicção seculari Iudici ad suppleendam negligentiam Iudicis Ecclesiastici, qui nullo modo est Superior Ecclesiasticus. *c. Solita. 6. de maior. & obed.* Deinde Ecclesiasticus Iudex non potest per expressum consensum tribuere Iudici seculari potestatem iudicandi Clericum, etiam volentem, & consentientem. *c. Significasti. 18. in fine. de for. comper.* ergo neque potest per suum consensum tacitum, vel per aliquod factum, videlicet ob delictum, vel negligentiam suam in administranda iustitia, tribuere laico potestatem iudicandi Clericum, ne, quod una viâ prohibetur, ad id aliâ admittatur, *contra reg. juris. 84. in 6. Barbof. in cit. c. Qualiter. in prætermis. n. 2. & 3. h. t.*

LXIII. Non obstat *text. in c. Filiis. 31. caus. 16. q. 7. & c. Principes. 20. caus. 23. q. 5.* nam ibi forum statuitur, ut ob defectum Ecclesiasticorum, causa ad Principem, seu Regem deferatur, non ut ipse iudicet, aut definiat, vel tanquam Iudex in causa procedat, sed ut moneat Superiorem Ecclesiasticum, v. g. Episcopum, vel Archiepiscopum de neglecta, vel iniuste administrata iustitia ab inferiore Iudice Ecclesiastico: vel dicendum est, illos, & similes Canones posterioribus temporibus esse revocatos *in cit. c. Qualiter. h. t.* sicut etiam ea decreta, & iura, in quibus statutum fuit, Episcopo negligente, disceptationem ad civilem Iudicem defendendam esse; ut *in c. Siquis. 45. caus. 11. q. 1. & in Auth. Ut Clerici apud proprios. & c. Plurimas. collat. 6. nov. 83.* abrogata sunt. *Abb. hic n. 7. & Azor. c. l.* Nec inde sequitur, ut impunita maneant delicta; quia negligente Iudice Ecclesiastico administrare iustitiam, adiri debet eius Superior Ecclesiasticus, ut ex dictis patet.

Porro illud hic præterea ex *cit. c. Qualiter. h. t.* colligitur, quòd licet aliàs regulariter de iure civili non liceat appellare à sententia interlocutoria, ante sententiam definitivam, *l. pen. C. quor. appellat. non re. q. 1.* quia tamen, spectato iure Canonico, ab interlocutoria, etiam ante sententiam definitivam, appellare licitum est, expressâ causâ rationabili. *c. Super eo. 12. caus. 1. q. 1. de iur. d. 1. de appellat. 59. de appellat.* ideo, si laicus cum Clerico litiget corâ Iudice Ecclesiastico, potest etiam ab interlocutoria, aut gravamine extrajudiciali appellari; quia tunc debet procedi, secundum leges, & consuetudinem fori Ecclesiastici, non civilis. *c. Quod Clerici. 9. de foro comper. & l. 3. §. fin. ff. de testib. Abb. hic n. 3.*

## §. II.

## De Causis, quas tractare, &amp; cognoscere potest Iudex Ecclesiasticus.

LXIV. Quæritur primò. An Iudex Ecclesiasticus possit iudicare, & cognoscere causas politicas, seu civiles, & temporales ad forum seculare pertinentes? Resp. primò. Iudex Ecclesiasticus, etiam S. Pontifex causas civiles, & temporales ad Magistratû secularem spectantes, directè, & ordinariè cognoscere, & iudicare non potest, alioquin iniustitiâ committeret. Su-

mitur ex *c. Novit. 13. h. t.* ubi Innocentius III. ait, propositum sibi non esse iurisdictionem Regis Gallie (quippe Principis secularis) perturbare, aut minuere, cum nec ipse Rex iurisdictionem Pontificis possit, aut velit impedire; neque se velle iudicare de feudo, cuius iudicium ad ipsum Gallie Regem spectat. Idemque colligitur ex *c. Licet. 10.* ubi decernitur, rescriptum à laico contra laicum in causa non Ecclesiastica à Papa impetratum, esse ipso iure irritum, & *c. Ex tenore. 11. de foro comper.* ubi Papa Iudicibus à se delegatis mandat, ut, si causa, de qua agitur, Ecclesiastica non sit, eâ superfedant. Ratio est, quia Papa, in causis temporalibus fidelium, iurisdictionem non habet; ut docet ex communi *Innoc. in cit. c. Licet in princ.* nisi ij temporali eius iurisdictioni sint subiecti: & cum potestas Ecclesiastica, & potestas secularis sint diversæ, ac propriis dignitatibus, & officiis discretæ, una alteram in iurisdictione sua impedire non debet: adeoque nec Iudex secularis negotiis Ecclesiasticis, neque Ecclesiasticus Iudex negotiis secularibus laicorum, saltem ordinariè, & directè, immiscere se debet: quamvis indirectè, & extraordinariè etiam in causis temporalibus, & profanis laicorum Ecclesiasticus Iudex se aliquando immiscere possit, easque tractare, & cognoscere. *Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 6. n. 2.* de quo infra tit. seq.

LXV. Resp. secundò. Licet aliàs regulariter, & ordinariè Iudex, seu Magistratus Ecclesiasticus non se debeat immiscere ad cognoscenda, & punienda crimina laicorû alterius temporali iurisdictioni subiectorum: ad Ecclesiasticum tamen Prælatum pertinet, per viam denunciationis Evangelicæ, de quovis peccato mortali, etiam laici in spiritualibus sibi subditi, maximè de perjurio, & fracta pace cognoscere, eumque corrigere, & per censuras Ecclesiasticas, si opus sit, ad emendationem compellere; prout habetur *in cit. c. Novit. 13. h. t.* Nam ortâ controversiâ inter Regem Gallie, & Regem Angliæ, super Comitatu Pictaviensi, qui erat feudum Regis Gallie, eam composuerunt inter se Reges, illamque compositionem utrinque juramento firmarunt. Sed Rex Gallie, non obstante tali compositione juratâ, dictum Comitatum occupavit, quem Rex Angliæ sæpe admonuit, ut fœdera, seu pacta juramento firmata servaret; ideòque illum, cum desistere nollet, Pontifici Innocentio III. denunciavit: qui causam illam quibusdam Iudicibus delegatis cognoscendam, & audiendam commisit. Sed cum Rex Gallie coram ipsis comparere nollet, Papa rescriptis ad Prælatos Franciæ, qui factum Regis excusare velle videbantur: & inprimis in iis litteris protestatur, quòd Iurisdictionem Regis Gallie perturbare, aut minuere haud intendat, cum nec ipse Rex Iurisdictionem Pontificis velit, nec debeat impedire. Sed quia secundum regulam, seu formam Evangelicam. *Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum* (monendo, & obsecrando, ut à peccato, vel offensa desistat) si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si verò te non audierit, adhibe unum, vel duos (testes) &, si nec hos audierit, dic Ecclesie (id est, Prælato Ecclesie) si autem Ecclesiam non audierit (ideòque excommunicatus fuerit. *Hostiens. hic V. Non audierit*) sit tibi, sicut ethnicus, & publicanus (id est, sicut gentilis, publi-

cus, seu notorius peccator, qui vitandus est. *Hofiensis, hic V. Eod.*) quia inquam, Rex Angliæ Regem Gallia, à quo offensus fuit, cum nihil admittendo proficeret, demum denunciavit Ecclesiæ: inde Papa, qui regenda universali Ecclesiæ est præpositus, ex officio suo procedere voluit, ita tamen, ut excusationes, quas ipse Rex coram se, vel Legato suo proponere voluerit, audire paratus sit. Neque enim Papa intendit judicare de feudo illo, cuius Iudicium ad ipsum Regem Gallia spectat: nisi forte huic Iuri per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem detractum sit (nam consuetudo legitime præscripta dat Iurisdictionem, & Iuri communi præiudicat, & æquiparatur privilegio. *Gl. hic V. Consuetudinem.* dummodò in præscribente addit capacitas. *Abb. hic n. 22.*) Sed solum vult Papa decernere de peccato, cuiusmodi censura, seu Iudicium, absque dubio, ad Romanum Pontificem spectat. Quare non debet Rex Gallia Iurisdictionem sibi inferri, si Apostolico Iudicio se committat, cum nullus ignoret, ad S. Pontificem spectare, ob quodcunque peccatum mortale, quemlibet Christianum (etiam si Reges fuerint) corrigere, & si correctionem contempserit, per censuras Ecclesiasticas coercere. Præcipue verò, quando agitur de fœdere, seu pace utriusque partis Iuramento firmata, eaque violata sit, dubium non est ad Iudicium Ecclesiæ, sive ad Sedem Apostolicam pertinere de Iuramento religione cognoscere, & ad eius observationem compellere, ut rupta pacis fœdera reformentur, seu restaurentur. Atque hinc Papa Legato suo in mandatis dedit, ut, nisi Rex Gallia firmam pacem in eam cum Rege Angliæ, seu litem componat, vel saltem patiat, ut delegati Sedis Apostolicæ causam de plano cognoscant: ipsi ad censuras, iuxta formam eisdem à Papa præscriptam, procedant.

LXVI. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Laicus, ratione peccati, subijcitur foro, seu Iudicio Ecclesiastico; prout sumitur ex hoc c. Et quidem non solum post peccatum commissum, sed etiam, antequam committatur, ut evitetur, *Barbof. in Collect. hic n. 5.* Item, si agatur de violatione pacis jurata, potest Iudex Ecclesiasticus etiam inter laicos cognoscere, ratione Iuramenti; ut patet etiam ex hoc c. *Barbof. hic n. 6.*

Notandum secundò. Controversia est hic inter Interpretes, an denunciatio, de qua fit mentio in hoc c. fuerit Evangelica solum, sive merè charitativa tendens ad solam emendationem fratris, seu proximi, sive corrigendum peccatum ipsius; an verò Iudicialis? Prius affirmandum videtur, tum quia Papa hic in princ. fundat se super auctoritate Evangelica desumpta ex c. 18, *Matth.* Et postea subijcitur, quòd Rex Angliæ paratus erat probare, se processisse, secundum formam, seu regulam Evangelicam. Tum quia Papa hic ait, quòd, cum vocatus sit ad regimen Universalis Ecclesiæ, debeat procedere, secundum formam mandati Divini, adeoque apertè innuit, quòd ista fuerit denunciatio Evangelica. Verùm communior sententia tenet, quòd hæc denunciatio fuerit non merè Evangelica, seu charitativa, sed etiam Iudicialis: tum quia causa hæc commissa fuit Iudicibus delegatis

tractanda quidem de plano, sed non sine omni processu Iudiciali: tum quia mandatur delegatis, ut audiant querelam Regis Angliæ contra Regem Gallia, & cognoscant, utrum ea iusta sit, vel an exceptio Regis Gallia legitima sit: adeoque Rex Angliæ non se fundabat simpliciter super peccato, sed etiam super interesse proprio, quæ est denunciatio Iudicialis. Nec obstat, quòd hic allegatur auctoritas Evangelica, quia ista denunciatio Iudicialis inducta est instar Evangelicæ: nam sicut in hac requiritur; ut præcedat admonitio, ita & in ista Iudiciali; quamvis hæc, ultra correctionem peccati, etiam eò tendat, ut denunciatus servetur illæsus. *Abb. hic n. 30. 31. & 32.*

Ex quo ulterius inferitur, licet denunciatio Evangelica, quæ est merè charitativa, tendens ad solam emendationem fratris, seu proximi, universim, & ordinariè admittatur ad Iudicem Ecclesiasticum, dummodo privata monitio præcesserit: tamen denunciatio Iudicialis, si denunciatus agat etiam de suo privato interesse, inter personas laicas, ab Ecclesiâ ordinariè non admittitur, sed denunciatus ad Iudicem seculari remittitur: nisi vel Iudex secularis nolit Iusticiam administrare, juxta c. *Ex tenore. 21. de foro compet.* Vel causa, ratione Iuramenti, aut violatæ pacis, fiat Ecclesiastica, ut in casu huius c. vel denique ob defectum Iudicis, quia reus nullum superiorem Iudicem habet, à quo cogi possit. *Abb. hic n. 48.* Requiritur tamen, ut tali casu, quo ad Iudicem Ecclesiasticum extraordinariè defertur denunciatio Iudicialis, præcedat privata monitio, & ut crimen à denunciante probetur, & processus aliquis Iudicialis, saltem de plano instituat; ut colligitur ex hoc c. & notat *Abb. ibid. n. 31.* Quamvis ad denunciationem purè charitativam, quæ ad solam emendationem proximi tendit, non opus sit probatione criminis, sed sufficiat, si illud per indicia probabile reddatur, ut fides habeatur denuncianti. *Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 3. p. 2. c. 4. n. 9.*

LXVII. Notandum tertio. De controversiis ortis circa feuda Principum, seu Dominorum secularium non potest cognoscere Iudex Ecclesiasticus, nec quidem Papa, saltem directè, cum potestas cognoscendi de feudis de Iure communi spectet ad Dominum feudi, c. *Ceterum. 5. h. 1.* Vel ad pares Curia, de quo suo loco. Veruntamen ratione peccati, potest Papa sibi denunciatum admonere ad penitentiam, & sic consequenter; ac indirectè etiam eum compellere ad satisfactionem, & restitutionem feudi, sine qua penitentiam agere non potest. *Gl. hic V. Iudicare de feudo. & Innocent. V. Eod. Addit Hofiensis, hic V. De feudo. Abb. n. 14. Felin. n. 4.* Quòd in casu huius c. propter defectum Iudicis non recognoscens Superiorem, potuerit adiri Papa, quia Rex Franciæ non poterat judicare de feudo tanquam in propria causa, nec per pares Curia, quia hi merito erant suspecti Regi Angliæ, ideoque si lis per transactionem, vel aliter componi non poterat, etiam directè conveniri potuit coram Papa Rex Gallia: idque ob necessitatem, ut caveantur gravia bella, quæ alias inter Christianos, cum magno Reipubl. detrimento oriri possent.

Excipi debet, nisi Iuri communi, quòd cavetur, ut Dominus, vel Pares Curia iudicent in causis feudilibus, per speciale privilegium, vel consuetudinem legi-

legitimè præscriptam, fuerit derogatum: nam fortè, ut ait Innocent. *hic n. 5.* in casu hujus c. Rex Angliæ habuit privilegium sibi concessum à Rege Galliarum, ut in controversiis ortis super feudo Comitatus Pictavienensis non judicaret Rex Galliarum tanquam dominus feudi, nec Proceres Regni, sed communi partium consensu arbitri eligerentur: nam privilegium datum non subito, regulariter non potest amplius revocari. *Felin. hic n. 8.*

LXVIII. Notandum quartò. Non tantùm adversus sententiam, in qua error, seu injustitia expressa fuit, adeoque, quæ ipso Jure irrita est, tametsi ab ea non appelletur, l. 1. §. 1. ff. *Que sentent. per appellat. rescind.* sed etiam adversus sententiam ipso Jure validam latam à Judice seculari, quæ transit in rem judicatam, quia non fuit ab ea intra 10. dies appellatum, si ea injustè lata dicatur, videlicet contra Jus peritis litigantis, vel non secundùm allegata, & probata, vel non secundùm Jura, & receptas consuetudines, atque de ejus injustitia notoriè, vel per confessionem ad veritatem constet, admitti debet denunciatio à Prælato, seu Judice Ecclesiastico: nam tunc is, pro quo sententia injustè lata fuit, non potest rem sibi adjudicatam per talem sententiam accipere, vel retinere sine peccato; adeoque denunciari debet Ecclesiæ, ad hoc peccatum impediendum, si aliter tolli non possit, Innocent. in c. *Quia plerique.* 8. n. 3. de *immunit. Eccl.* *Felin. hic n. 6.* Et, licet præsumptio rei judicæ sit Juris, & de Jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, ea tamen cessat, postquam de contrario, videlicet de formali injustitia sententiæ notoriè, vel per confessionem victoris, qui in Judio obtinuit, constat, ita, ut talis sententia etiam in Judio, & foro externo retractari debeat; ut docet *Abb. hic n. 20.* Ac proinde non requiritur postea denunciatio Evangelica, nisi in defectum, si coram Judice seculari justitia obtineri nequeat. *Felin. hic n. 5.*

Sed est de injustitia sententiæ notoriè non constat, neque per confessionem ejus, qui in Judio obtinuit, si tamen victus, vel alius quipiam clarè probare paratus sit, quòd sententia formaliter injusta lata sit, & quòd victor id sciat, adeoque scienter in peccato versetur, admittenda erit denunciatio Evangelica, ut docet *Jo. Andr. hic n. 32.* & *Felin. n. 6.* Quia nullus Christianus in peccato mortali existens, si peccato desistere nolit, denunciari potest Ecclesiæ: sed qui sit, per sententiam injustè pro se latam se obtinisse causam in Judio, non potest rem sic obtentam retinere, sine peccato: ergo si retineat, potest Ecclesiæ denunciari. Nec obstat, quòd non solum Jure civili, sed etiam Canonico, sententia lata post decendium transeat in rem judicatam, ideòque non debeat retractari. Nam imprimis per denunciationem Evangelicam non agitur directè ad rescindendam sententiam, sed ad tollendum peccatum: quo casu interdè, & consequenter solum petitur restitutio sententiæ, & admittitur contra illam probatio. *Felin. hic n. 6.* §. *Si dicatur.* Deinde, licet victus non admittatur in Judio ad oppugnandam sententiam à Judice contra se latam, quæ post decendium transit in rem judicatam, ut litium sit finis: tamen in foro Canonico, per viam denunciationis, ad tollendum peccatum, admitti debent probationes contra sententiam, etiam post decendium. *Laym. hic n. 8.*

Potè de denunciatione, tum Evangelica, tum Judiciali plura dicentur infra. l. 5. tit. 1. ubi ex instituto agitur de denunciationibus.

LXIX. Quæritur secundò. An Prælati Ecclesiastici, aut Clerici ex commissione Principis secularis cognoscere possint causas politicas, & seculares?

Resp. affirmativè, nam etiam Episcopus, vel Clericus in Sacris constitutus potest cognoscere causas civiles tanquam Juxdex delegatus ab Imperatore, vel alio Principe seculari; prout sumitur ex c. *Inter dilectos.* 6. §. *Secundò per instrumentum, de fide instrum.* ubi habetur, quòd Archiepiscopus Mediolanensis tulerit sententiam ex delegatione Ludovici Imperatoris: idque in Romano Imperio frequentissimum est, imò possunt etiam constitui Judices Ordinarij causarum civilium, atque Curiarum, aut Camera Imperialis Præfides; ut praxis quoque testatur, & docet *Laym. l. 2. Theol. mor. tract. 1. c. 8. n. 5.* *Quamvis Suar. dis. 23. de censur. sec. 3. n. 21.* putet, hujusmodi officia secularia non posse Sacerdotes suscipere, sine dispensatione Papæ. arg. c. *Clericis.* §. *Ne Clerici, vel Monachi,* & c. de quo *ibid.*

LXX. Quæritur tertio. Ad quem Judicem pertinet cognoscere de causa dotis, & alimentorum in Judicium deducta? ad Ecclesiasticum, an secularem? *Abb. in c. Ex tenore.* 11. n. 6. de *for. compet.* & alij nonnulli putant, eam esse mixti fori, quia ad Ecclesiam etiam spectat defensio dotium. Sed verius est, quòd, si causa dotis, sicut & alimentorum, per se, ac principaliter agatur, & vertatur in Judio, tum ad solum Judicem secularem ejus cognitio, ac definitio pertinet, cum sit causa merè profana: ut si constante matrimonio, agatur uxor ad restituendam sibi dorem, eò quòd vir ad inopiam vergat. Si verò principaliter agatur de divortio Matrimonij, cujus causa propriè ad forum Ecclesiasticum pertinet; c. *Tue.* §. de *Procurat. accessorie,* & incidenter de dote, & alimentis mulieri præstandis, ad eundem Judicem Ecclesiasticum etiam spectat cognoscere; ut constat ex c. *De Prudentia.* 3. & *ibi Gl. V. Incidens accessorie, de donat. int. vir. & uxor. Sanch. lib. 10. de marr. dis. 8. n. 15.*

### §. III.

*An aliquis possit esse Iudex, sive Ecclesiasticus, sive secularis, & iudicare in causa propria?*

LXXI. Assertio 1. Princeps, seu Juxdex supremus Superiorem non habens; ut Papa, Imperator, vel Rex in causa propria, sive quæ vertitur inter ipsum, & Subditos, potest esse Juxdex; ut docet *Gl. in c. Cum venissent.* 12. v. *Judicari. h. r.* & *ibid. Abb. n. 8. Decius n. 5. Felin.* Et alij communiter. Idque sumitur ex l. *Et hoc.* 41. ff. de *hered. instit. junct. Gl. marg.* Ubi Imperator Tiberius in causa propria sententiam dixit, jubens, ut divideretur hereditas servo suo, qui putabatur esse ingenuus, relicta, inter ipsum Cæsarem, & substitutum servo ipsius. Et ex l. *Unic. C. Si quis Imperat. maledix.* ubi decernitur, ut is, qui animo injuriandi maledixit Principi, ad ipsum remittatur, ut cognoscat de injuria sibi illata. Ratio autem, cur Princeps

ceps Superiorem non recognoscens possit esse Iudex in causa propria, desumitur tum ex plenitudine potestatis ipsius, quandoquidem à subdito cogi non potest, ut se Iudicio alterius subiciat: tum quia præsumitur, supremum Principem, seu Magistratum, tanquam auctorem Legum, & iustitiæ, adhibitis Consiliariis suis, nihil nisi iustum, & æquum decreturum. *Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 6. c. 2. n. 13.* Melius tamen, & consultius, ipsique Juri naturali conformius faciet Princeps, si in causis inter ipsum, & subditos controversis, non ipse per se iudicet, sed vel arbitris eas decidendas committat, vel Iudices Ordinarios, aut delegatos constituat, qui jus inter ipsum, & subditos dicant; prout colligitur *ex l. 2. C. Si advers. fiscum.* ubi dicitur, si controversia oriatur inter fiscum Principis, & privatos, procurator Caesaris, unâ cum Præsidente, cognoscere debeat. *Gl. in cit. c. Cum venissent. V. Iudicari. & Abb. n. 6.* Idque hodie etiam in praxi observari solet, ut huiusmodi lites fiscum concernentes cognoscantur, ac definiantur ab iis, qui fisco, seu Cameræ Principis præsidet, quos proinde secundum iustitiam procedere, & sine inordinatâ affectione, aut personarum acceptione, id, quod æquum est, decernere oportet. *Laym. in Conclus. Canon. de Jurisd. Ordin. concl. 46.* Potest autem Papa, vel alius Iudex supremus solum esse Iudex in causa propria, quoad subditos suos, non quoad alios sibi non subiectos. *Felin. in cit. c. Cum venissent. n. 5.*

Non obstat, quòd ad substantiam Iudicii requiruntur tres personæ. *c. Forus. 10. de V. S.* Sed si Papa esset Iudex, vel Imperator in propria causa, deficeret pars substantialis Iudicii, quia Papa, vel Imperator esset simul pars, & Iudex. Nam respondetur, de iure positivo solum requiri ad Iudicium tres personas, non tamen semper; ut patet, quando proceditur in Iudicio per viam inquisitionis, ubi nullus intervenit Actor. *Felin. in cit. c. Cum venissent. n. 6. h. t.* Deinde etsi recusatio Iudicis suspecti nitatur ratione naturali, non tamen est simpliciter juris naturalis: imò Papa potest aliquem habilem reddere, ita, ut non possit recusari. *Felin. c. l.*

LXXII. Ceterum Papam, vel alium Principem supremum posse iudicare in causa propria, colligitur quoque, & confirmatur *ex c. Cum venissent. 12. h. t.* (quæ est pars. *c. 2. §. Nos igitur. de in integr. restitut.*) ubi Innocentius III. ait, cum super privilegiis Sedis Apostolicæ causa vertitur, nolimus de ipsis (scilicet licet privilegiis) per alios iudicari; subintelliges, quam per nos, vel eos, quibus specialiter hoc committendū existimaverimus. *Hofstiens. h. c. V. Per alios.* Itaque de dubiis ortis circa privilegia Sedis Apostolicæ, sive ab eadem concessis solus Papa, & non inferior Iudex cognoscere potest, adeoque Papa hęc iudicat in causa propria. Ratio est, quia eius est interpretari, cuius est condere. *Gl. h. c. V. Iudicari. & Innoc. V. Per alios.*

LXXIII. Notandum primò. Si de intellectu privilegii à Sede Apostolica concessi principaliter agatur, v. g. Si de privilegio exemptionis, seu subiectionis immediatæ erga Sedem Apostolicam dubium oriatur, an sit legitime concessum, aut impetratum, vel quousque se extendat, vel an revocatum sit, necne &c. tum solus Papa, vel alius auctor legis, aut privilegii, non item alius inferior Iudex, interpretationem talis privilegii (necessariam scilicet, & genera-

lem, sive iudicalem, quæ auctoritative fiat, & vim legis, seu decreti generalis obtineat, ita ut omnes obliget) facere potest: quia qui legem condidit, vel privilegium concessit, etiam interpretari illud potest. *c. Inter alia. 31. de sentent. excomm. c. Sicut. 30. §. Ex his caus. 11. q. 1. l. fin. C. de legib. Abb. in cit. c. Cum venissent. n. 3. & ibid. Dec. n. 3.* ubi addit, tali interpretationi Principis standum esse, etiam si ab initio fortè, cum legem conderet, vel privilegium daret, alia eius intentio fuerit: quia etiam revocare, & omnino tollere potest legem, vel privilegium.

Notandum secundò. Si dubium incidat in Iudicio de privilegio à Papa, vel alio Principe supremo concessio, tunc etiam Iudex inferior, coram quo partes litigant, potest indirectè, & incidenter cognoscere de tali privilegio, illudque interpretari, ita tamen, ut per huiusmodi interpretationem nullum præiudicium inferatur Papæ, seu Principi privilegium concedenti, neque etiam aliis obligatio per illam imponatur: quia res inter alios acta tertio non debet præiudicare, sed obligat solum partes litigantes, & in eorum præiudicium, nisi hæc à sententia, vel tali interpretatione necessariâ, & particulari appellent: nam hoc casu iudicatur potiùs de privilegio, an v. g. sit capax privilegii, quam de ipso privilegio, eiùs intellectu, seu intentione: & si potest Iudex inferior interpretari legem scriptam, in præiudicium partium, quamvis generaliter statutum sit solum Principem posse interpretari legem: multò magis poterit interpretari legem non scriptam, seu privilegium incidenter, & indirectè. *Gl. in cit. c. Cum venissent. V. Iudicari. Abb. ibid. n. 3. & Dec. n. 4.* Excipi debet, nisi incideret circa intellectum privilegii dubium valde arduum, seu grave, quod vix explicari potest: tum enim, etiam si nullum contineat jus, vel præiudicium Principis, ad eundem pro illius interpretatione recurrendum est, saltem si commodè adiri possit. *Dec. c. l. Barbosa. in cit. c. Venissent. n. 2. h. t. in prætermisiss.*

LXXIV. Assertio 2. Iudex inferior Papæ, vel Principe non potest in propria causa iudicare, vel jus sibi ipsi dicere; ut habetur *in l. unie. C. Ne quis in sua causa iudicet. c. Inter querelas. 25. junct. Gl. V. Propria. caus. 23. q. 4. Abb. in cit. c. Cum venissent. n. 9. & Dec. ibid. n. 6.* Ratio est, quia Iudex debet esse medius, ac veluti diremptor inter partes litigantes, actorem, & reum. *c. 1. & ibi Gl. caus. 4. q. 4.* Sed neque dominus feudi in causa propria, seu feudo iudicare potest, sed recurritur ad Pares Curia. *Dec. c. l.* Atque hinc infertur, quòd, si lis, seu controversia oriatur inter maiorem partem Capituli, & aliquos Canonicos, seu Capitulares singulares, non potest Capitulum, quod representat maior pars, esse Iudex; quia iudicaret in causa propria, contra *cit. l. unie. C. Ne quis in sua &c.* Idque procedit, etiam si Capitulum aliàs haberet iurisdictionem in singulos, sicut ex consuetudine quandoque habet, non tamen potest singulos iudicare in factò, seu causa propria. *Abb. in c. In Genes. 55. n. 2. de elect.*

LXXV. Excipitur primò. Nisi factum, seu causa, v. g. iniuria Iudici illata, notoria sit; tum enim reum incontinenti, sine alia accusatione, & juris processu, punire potest: quia tali casu videtur cessare ratio suspitionis, cum non tam Iudex esse censetur, quàm juris executor. *Abb. c. l. n. 8. Dec. n. 6.* Id autem

tem procedit, quando pœna, quæ à lege imponitur ob delictum notorium, certa est, secus, si arbitrio Iudicis imponatur, quia tum ratio allata cessat, ut notant DD. cit. Deinde id procedit potissimum in Iudice Ordinario, si ratione officii publici, injuriam passus sit, vel si pœna tendat ad vindictam publicam Reipubl. quia tunc censetur potius causa aliena, quam propria: secus, si agatur ad vindictam privatam, nempe ad pœnam ipsi Iudici injuriam passio applicandam: tunc enim non potest esse Iudex in propria causa; quia injuria censetur principaliter irrogata personæ; etsi secundariò etiam in dignitatem redundet. *Gail. lib. 1. obs. 39.* ubi addit, si injuria illata non sit notoria, & evidens, sed probationem requirat, tum ad Iudicem Superiorem pertinebit de injuria illata inferiori Iudici cognoscere.

Aliud quoad hoc dicendum est de Iudice delegato, qui etsi possit procedere contra impediendam, seu turbantem jurisdictionem sibi demandatam, c. 1. de offic. jud. deleg. non tamen potest quodpiam attentare, vel judicialiter procedere contra injuriam ei inferentem in alia re, cum in ipsum jurisdictionem non habeat, extra causam sibi commissam. *Abb. c. l. n. 11. Laym. de jurisd. ordin. concl. 44.*

Excipitur secundò. Quòd ex consuetudine recepta in quibusdam locis, Episcopi in causis ad ipsos proprie spectantibus Iudices dare soleant, qui parti colliganti non sint suspecti, quia consuetudo jurisdictionem tribuit. *Felin. in cit. c. Cum venissent. n. 7. h. t. Laym. c. l. concl. 46.*

LXXVI. Excipitur tertio. Quòd Episcopus, vel alius similis Prælati judicare potest in causa Ecclesiæ suæ. Ubi tamen distinguendum est cum *Gl. in c. 1. V. Punire, de pœnis, in 6.* nam si injuria, vel alia causa directè, & principaliter spectet ad Episcopum, vel alium Prælatus, sive ipsius personam tantum contingat, tum non potest is in ea esse Iudex, nec in quantum punire; ut constat ex c. *Iner. 27. junct. Gl. in cit. caus. 23. q. 4.*

Idemque est, si causa Ecclesiæ directè ad mentem Prælati pertineat; ut tradit *Abb. in cit. c. Cum venissent. n. 9. h. t.* nam censetur esse causa propria: palam enim est, eam propriam esse causam, cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet; ut dicitur in c. *Biduum. 29. §. Si quis assuet. caus. 2. q. 6. &* cum Episcopus in causa ad ipsum spectante, v. g. ut Parochia eius mensa uniat, non possit auctoritatem suam interponere, quia censetur eam præstare tanquam in factò proprio. *Clement. 2. de reb. Eccles. non alien. multò minùs poterit in tali causa judicare etiam incidenter. Abb. c. l. n. 10.* Præterquam si causa, v. g. injuria directè pertinet ad Prælatus notoria sit: tum enim potest esse Iudex, seu potius executor justitiæ, infligendo pœnam legibus statutam. *Arg. c. Guisfarius. 30. caus. 25. q. 4. & dictum num. preced.*

Si verò injuria, vel alia causa principaliter, ac directè spectet ad Ecclesiæ, vel ad dignitatem Episcopalem, potest Episcopus in ea esse Iudex. *Gl. in cit. c. 1. V. Punire, de pœnis, in 6.* Verumtamen propter conjunctionem, quam Prælati habet cum Ecclesiæ suæ, recusari potest tanquam suspectus; ut docet *Abb. c. l. n. 9.* nam, si Iudex ut suspectus recusari potest, si adversarius factus sit familiaris, seu domesticus illius propter affectionem, quam erga familiaritatem gerit, *Arg. c. Insinuante. 25. de offic. jud. deleg. &* si litigans cum Canonico potest recusare Cano-

nium eiusdem Ecclesiæ tanquam Iudicem suspectum, propter præsumptionem affectionis singularis erga socium, & fratrem, c. *Cum Raphaël. 35. eod. tit.* multò magis poterit Episcopus in causa Ecclesiæ suæ recusari, cum maior sit conjunctio, & suspicio affectionis erga propriam Ecclesiæ, quam erga familiarem, & socium. *Abb. c. l. n. 10.* Item, si Episcopus tanquam Iudex suspectus recusari potest, cum in alia causa Ecclesiæ suæ adversarius est partis; ut colligitur ex c. *Cum super. 23. &* ibi *Gl. Magna. de offic. jud. deleg.* multò magis; si in eadem causa adversarius sit: quamvis Episcopus in causa Ecclesiæ directè, & principaliter pertinente ad Ecclesiæ, & non ad ipsum Episcopum, recusari non possit tanquam testis, quia testis non tam facile recusari potest, sicut Iudex; ut dictum *supr. l. 1. tit. 29. n. 129.*

LXXVII. Ceterum, licet aliàs regulariter nemo possit esse Iudex, vel Arbitrator in causa propria, ne quidem Adversario consentiente; sed sententia, vel arbitrium in causa propria prolatum invalidum sit, *juxta l. pen. junct. Gl. V. Imperare sibi. ff. de recept. arbitr. &* ex communi docet *Decius in cit. c. Cum venissent. n. ult. h. t.* Episcopus tamen, aliàsve Prælati, si non recusetur, seu contra eum non excipatur, in causa Ecclesiæ suæ Iudex esse potest, ac proinde sententia ab eo lata valida est, quia jurisdictionem habet; licet ea per exceptionem elidi possit, quod antequam fiat, gesta tenent. *Abb. ibid. n. ult.*

Atque hæc tenent dicta obtinent, quando Episcopus, vel similis Prælati in causa Ecclesiæ judicialiter cognoscendo procedit: si verò extrajudicialiter procedat, potest ad defensionem jurium suorum, vel Ecclesiæ suæ, censuras infligere, dummodo bonâ fide in possessione sit. *Arg. c. Dilecto. 6. &* c. *Venerabilibus. 7. Vers. attamen de sentent. excom. in 6. &* docet *Innocent. in c. Venerabili. 24. n. 3. de censib. Abb. in cit. c. Cum venissent. n. 10. Laym. de jurisd. ordin. concl. 44.* nam, si licet Episcopo armis materialibus, seu corporalibus defendere possessionem jurium suorum, multò magis licebit etiam armis spiritualibus, scilicet per excommunicationem, aliàsve censuras, v. g. si Episcopus sit in possessione visitandi Ecclesiæ inferiores, seculares, vel regulares, & Prælati, vel Rectores nolint eum admittere, allegantes exemptionem; potest Episcopus armis tam spiritualibus, quam materialibus defendere possessionem suam. *Innoc. c. l. &* *Laym.*

LXXVIII. Excipitur quartò alius casus, in quo potest quis judicare in causa propria: si nimirum rationabiliter dubitetur, an tua sit jurisdictio, sive an Iudex potestatem cognoscendi, seu judicandi causam, quæ ad ipsum deferatur, habeat, id ipsum priùs cognoscere potest, *l. 2. ff. Si quis in jus vocatus &* c. *l. Si quis ex aliena. §. ff. h. t.* ubi dicitur: Prætoris est æstimare, an sua sit jurisdictio. Ratio est, quia tali casu non nisi indirectè judicat in causa propria, quatenus id necessarium est, ut ordinario, & publico officio judicandi fungi possit: nam, cum dicitur, quòd nemo in propria causa Iudex esse debet, id intelligendum est, ne id directè fiat, in propriam utilitatem sententiam ferendo; ut tradit *Gl. in cit. l. Si quis. V. Æstimare: &* quia judicare est onus principaliter, ideo non dicitur propria causa Iudicis, cum ex eo commodum, vel incommodum ad eum non pertineat; ut notavit *Felin. in c. Super literis. 20. n. 18. de rescript. Laym. l. 3. tr. 6. c. 2.*

n. 13. & 14. Idque procedit, non solum in Iudice ordinario, sed etiam in delegato, quod & is, exorto dubio, cognoscere possit, an sua sit iurisdicção, necne. c. Pastoralis. 14. in princ. & ibi Abb. not. 2. de rescript.

Limitari tamen debet, nisi dubium existat, non circa Jurisdiccionem, sed circa ipsam personam Iudicis, ut, si illi objiciatur, quod sit excommunicatus, infamis, amens, &c. vel, si à parte litigante tanquam suspectus recusetur: nam de tali exceptione, vel reculatione non potest Iudex cognoscere, sicuti enim exceptio defectus, vel suspencionis (nisi notorie frivola sit) Iudicem inhabilem reddit, quo minus cognoscere possit super causa principali, ita & multo magis super accessoria, & incidente, cum utrobique eadem sit ratio suspencionis, & per talem exceptionem, vel reculationem Iudex ad indignationem provocetur. Gail l. 1. obs. 34. n. 6. Quare hoc casu ad superiorem recurrendum est, vel consensu partium arbitri eligendi sunt; ut docet Barr. in l. Quidam. § 7. n. 3. & seqq. ff. de re judic. Imò univèrsim, & generaliter, si Iudex, de cujus Jurisdicção dubitatur, ex eo, quod cognoscat, seu iudicet pro Jurisdicção, commodum percepturus sit, non potest ipsemet sententiam ferre; ut tradunt DD. in l. de Iure. 37. ff. ad municip. Laym. de Iurisd. ordin. concl. 45.

### §. IV.

*An Iudex, qui cognoscit de Causa possessionis, semper, & necessario cognoscere, seu iudicare debeat etiam de causa proprietatis?*

LXXIX. De hac quæstione agitur in c. Significaverunt. 21. & ult. h. t. Nam ortâ controversiâ inter Abbatem, & Conventum S. Mariæ de Florentia, atque Communitatem Castri de Signa, super possessione, vel quasi possessione Iuris eligendi Rectorem dictæ Communitatis (quod ad se pertinere, Monasterium dicebat) potestas Florentina sententiam definitivam pro Abbate, & Conventu protulit. Sed, cum post laram sententiam, Abbas, & Conventus Rectorem in eodem Castro eligerent, seu constituerent, eundem Castellani recipere noluerunt, moventes illis litem super proprietate Iuris eligendi Rectorem, super qua potestas Florentina compellere volebat dictum Abbatem, & Conventum, ut coram se responderent. Cùm autem hoc relatum esset Papæ Honorio III. is causam hanc commisit Episcopo Bononiensi, & quibusdam alijs, mandans eis, ut, si ita sit, cogant prædictam communitatem ad recipiendum Rectorem à Monasterio electum, & constitutum, & postea citatis partibus, audiant, & cognoscant, quæ partes super proprietate, vel quasi Iuris eligendi Rectorem proposuerint. Verùm Communitas excepit contra Monasterium, quod, propter tempus feriarum vindemialium, in Iudicio coram delegatis respondere non teneretur: ad quod Syndicus Monasterij respondit, hoc malitiosè proponi, ut nimirum causa protraheretur, & interea tempus regiminis electi Rectoris inutiliter decurreret, & finiretur. His intellectis, mandavit Pontifex, ut Iudices de-

legari, non obstante istâ exceptione, in negotio rationabiliter procedant.

LXXX. Pro explicatione hujus c. Notandum primò, Res incorporales, seu Jura, ut possessio, dominium, Jurisdicção, &c. propriè non dicuntur possideri, sicut res corporales, sed quasi possidentur; ut patet ex hoc c. quamvis libellus non ideo vitietur, quod omisâ voculâ, Quasi, narretur factum. Abb. hic n. 5. & nihilominus pro istis Juribus incorporalibus agi potest Iudicio possessorio, ut in casu hujus c. quia communitas non admittebat Rectorem à Monasterio antea eligi solitum, censebatur turbari ejus quasi possessio, aut veluti spoliari ipsum Monasterium, si post sententiam electus ab ipso in Rectorem admittus non fuit: ideòq; petebat coram Iudice se restitui in quietam possessionem Iuris eligendi, nec antea responsurum de proprietate, & obtinuit. Hostiens. hic V. Dicebant. Innoc. ibid. V. Postea, Abb. n. 4.

LXXXI. Notandum primò, Cùm regulariter, si fieri possit, causa possessionis, & proprietatis coram eodem Iudice, sive ordinario, sive delegato, (cui causa simpliciter est commissa, quia censetur tum quoad possessionem, & proprietatem commissa) tractanda, & terminanda sit, c. 1. de caus. possess. & propri. quia continentia causæ dividi non debet, neque causæ, quæ in eodem Iudicio debuerant terminari, apud diversos Iudices ventilari debent, l. Nulli. 10. C. h. t. Facilius enim apud eundem Iudicem, qui jam de possessione cognovit, adeoque melius instructus censetur, tractabitur quoque de proprietate, quam apud alium: id tamen solum procedit, quando actor, & reus sunt ejusdem fori: non autem, si sint penitus diversi fori: ut in proposito, Monachi primò agebant contra Castellanos super possessione coram seculari Iudice eorum, quia actor forum Rei sequi debet: posteaquam verò obtinuerunt in possessorio, non potuerunt Monachi in petitorio, sive super proprietate conveniri coram eodem Iudice seculari, qui non est proprius, & competens eorum Iudex, sed alienus: non enim propter accidentale illud commodum, quia prior Iudex, qui cognovit de possessione, jam aequaliter est instructus in causa, debet permitti majus aliquod incommodum, ut scilicet actor non debeat sequi forum Rei, sed reus trahatur ad forum alienum, præsertim Clericus ad forum seculare, contra privilegium exemptionis à potestate seculari; quamvis non possit quis simul impetrare diversos Iudices in causa possessionis, & proprietatis, juxta cit. c. 1. de caus. poss. & propr. & cit. l. Nulli. C. h. t. quod in casu hujus c. Monachi non fecerunt. Gl. hic V. Super proprietate. & Abb. n. 14. Quòd si reus conventus super possessione ab actore, vult contra hunc agere super proprietate; tunc si sint ejusdem fori, debet reus agere coram eodem Iudice, ne causæ continentia dividatur. Si verò actor est Clericus, reus laicus; tunc laicus conventus super possessione coram Iudice seculari, non potest, finito Iudicio possessorio, agere super proprietate coram eodem Iudice: quia laicus tunc est actor in petitorio, qui sequi debet forum Rei, nec tenetur tunc actor in possessorio respondere coram eodem Iudice seculari, qui non est suus in petitorio, sed debet conveniri coram proprio suo Iudice Ecclesiastico, qui est casus hujus c. Abb. hic n. 15. Accedit, quòd per se proprietatis nihil habet commune cum possessio-

Ab eoque causa possessionis, & proprietatis bene possunt tractari simul coram diversis Iudicibus, si causa sit una; ut quia actor in possessorio, & actor in petitorio sunt penitus diversi fori, ut in casu hujus c. Gl. c. l. Abb. Nec obstat, quod causa conventionis, & re-conventionis debent tractari simul coram eodem Iudice, c. 1. De mut. petit. quia hic recóventio propriè non habet locum, quippe quæ fieri debet, eodem durante Iudicio: atqui hic causa possessionis jam erat finita per sententiam definitivam: nec reus poterat Iudicium petitorium inchoare, durante Iudicio possessorio, quia spoliatus possessione non tenetur respondere super proprietate spoliatori suo, antequam fuerit restitutus, c. ult. de Ord. cognit. Gl. jam cit. Abb. n. 14.

LXXXII. Notandum tertio. In casu hujus c. non agebatur de possessione, vel quasi, alicujus rei, seu Juris spiritualis, sed Juris profani, & temporalis, quia non agebatur hic de electione Rectoris ad officium spirituale, sed temporale, nempe de Rectore, seu gubernatore politico, sive seculari alicujus castri, seu oppidi: & quia Abbas, & Conventus erant actores in possessorio, debebant sequi forum Rei: quare nihil mirum, quod potestas Florentina cognoverit, & sententiam super possessione tulerit contra secularem communitatem, Abb. hic n. 10. Potest autem Ecclesia, vel Monasterium habere facultatem eligendi, seu constituendi Rectorem, seu potestatem secularem; cum sit capax Jurium, & rerum temporalium, ita, ut ex sola electione, seu constitutione Ecclesiæ, seu Monasterij competat Ius administrandi tali Rectori electo, seu constituto, absque alia confirmatione Superioris, Gl. hic v. Promulgavit. & Abb. n. 5.

Notandum quarto. Si Magistratus secularis, violendo personas Ecclesiasticas ad suum forum, eas gravat, & immunitatem Ecclesiasticam violat, possunt illæ per viam appellationis saltem extrajudicialis, vel potius per viam simplicis querelæ, immediatè adire Papam: ut in casu hujus c. quia potestas Florentina cogit Abbatem, & Conventum super proprietate respondere, seu litigare coram se, adeoque coram alio, & non suo Iudice, eoque seculari, ideo potestatem super hoc querelam deferre ad Papam, Abb. hic n. 11.

Notandum 5. Etsi aliàs regulariter non potest quis cogi, ut tempore vindemiarum, vel messium litiget in Iudicio, l. 1. ff. de Ferijs. possunt tamen partes renunciare ferijs inductis in favorem hominum, non item institutis in honorem, & reverentiam Dei, & Sanctorum, Gl. hic v. Propter vindemias. Et hinc, si una pars litigantium, sine rationabili causa, seu impedimento, nolit consentire, ut Iudicium in ferijs vindemiarum, vel messium exerceatur, adeoque appareat, quod litem tantum protrahere velit, tum ex causa justa potest compelli ad litigandum, vel respondendum in Iudicio, ut in casu hujus c. Rector ad temporale regimen castri electus, non poterat administrare res communitatis, ante obtentam possessionem officij: ut notat hic Abb. n. 6. & sic periculum erat, ne ob moram hanc res communitatis perirent, aut negligenter: neque etiam poterat communitas compelli ad Rectorem electum admittendum, nisi prius citaretur, & audiretur coram Iudicibus delega-

Tomus II.

tis: sed quia jam pro possessione Monasterij à potestate Florentina sententia definitiva lata fuerat, ideo non requirebatur alia causæ cognitio, sed tantum sententia lata executioni mandanda fuit, antequam Iudices de proprietate Iuris eligendi cognoscerent, Imol. hic n. 11. Addit Gl. marg. in fine hic, & Abb. n. 17. Quod ideo quoque communitas castri fuit compulsæ ad respondendum in Iudicio, etiam tempore vindemiarum, quia ipsa tota non occupabatur in vindemia, sed per Syndicum litigabat.

### SECTIO III.

De actis Iudicij, modo procedendi, & alijs quibusdam observandis in Iudicio, & quomodo finiatur Iudicium.

#### §. I.

An acta Iudicij per Iudicem existimatum, qui verè Iudex non est, sint valida?

LXXXIII. Assertio 1. Si quis existat in possessione officij Iudicis, sive potestatis publicæ, licet titulo, & Iure destitutus sit, adeoque verè Iudex non sit, omnia tamen ejus acta valent, si duæ conditiones concurrant, de quibus postea. Hæc est communis, & receptissima DD. sententia ex l. Barbarius. 3. ff. de offic. Prætor. & ex c. 1. §. Veruntamen caus. 3. q. 7. Qui est desumptus ex Synodo Romana, in quibus decernitur, quod gesta per servum, qui, dum liber putaretur, officium Iudicis exercuit, valida sint, licet ob impedimentum servitutis non esset capax Iurisdictionis exercendæ. Ratio est, quia propter communem utilitatem Jus positivum, tam Canonicum, quam civile supplet defectum veræ Iurisdictionis, & dat auctoritatem, ac valorem omnibus gestis per talem Iudicem, tam in foro interno conscientiæ, quam externo, ad evitanda multa incommoda, & graves perturbationes, quæ orirentur, si communi errore detecto, omnia gesta per talem Iudicem rescindenda forent, Sanch. l. 3. De matr. dif. 22. n. 5. & 13.

LXXXIV. Requiritur autem ad valorem sententiæ, & actorum per talem Iudicem, inprimis error publicus, sive communis populi, videlicet, ut ille defectus Iudicis sit occultus, adeoque ut vulgò, sive communiter habeatur pro vero, & legitimo Iudice: unde non sufficit unius, vel alterius, seu paucorum error, sed debet esse communis, cui necesse sit subvenire, suppendo defectum Iurisdictionis; ut colligitur ex cit. l. Barbarius. junctâ Gl. V. Reprobati, ubi ait: Circa factum error communis facit Ius. Sanch. c. l. n. 6. Neque sufficit quicumque error communis, sed debet esse probabilis, non crassus, vel supinus: nam ejusmodi error, sive ignorantia æquiparatur scientiæ, juxta c. 2. de Constit. in 6. Ut si quis in eo loco publicè damnatus, vel denunciatus esset de aliquo impedimento, ob quod esset incapax officij Iudicis.

D 2

Sanch.

*Sanch. cit. dif. 22. n. 8.* Sufficit tamen, quod ille error communis sit in eo loco, ubi Iudicij actus exercetur, quia ibi defectus ille est occultus, licet in alijs locis sit publicus, præsertim si defectus, seu impedimentum notorium sit in alio loco ita distante, ut ejus notitia verisimiliter non possit venire ad locum, in quo impedimentum est occultum. *Sanch. c. l. n. 9.* Imò, licet olim in hoc ipso loco publicum fuerit impedimentum, si tamen jam ex hominum memoria excidit, ita, ut communiter ignoretur, valent gesta per talem Iudicem, quia sufficit, quod nunc adit error communis, justus, & probabilis. *Sanch. c. l. n. 10.*

Requiritur secundò ad valorem actorum per Iudicem falsò existimatum, ut Iudex ille habeat titulum coloratum, seu putativum, hoc est, saltem apparentem, seu præsumptum, qui sit datus à legitimo Superiore, ita, ut acceperit potestatem exercendi actus Jurisdictionis ab illo, qui dare illam poterat, licet titulus ille fuerit invalidus, quia & ipse propter occultum impedimentum incapax erat Jurisdictionis exercendæ; ut patet ex *cit. l. Barbarius. 3. & cit. c. 1.* Ubi utrumque Jus, præter communem errorem, ponderat, intervenisse auctoritatem Superioris delegantis potestatem judicandi. *Abb. in c. Nihil. 44. n. 11. De elect. & Sanch. cit. dif. 22. n. 49. & 50. & alij apud ipsum.* Talis titulus coloratus adest, quando alicui in occulta excommunicatione existentem, vel per simoniam confertur parochia, qui vulgò verè, & legitime institutus existimatur, ac proinde gesta per eum valent, quia licet verum, & legitimum titulum non habeat, ob impedimentum excommunicationis, vel simoniacæ collationis, habet tamen titulum coloratum, seu apparentem collationem à vero Superiore factam. *Sanch. cit. dif. 22. n. 30.* Item si quis, post legitimam collationem beneficii, vel officij, ob commissum delictum ipso Jure, seu ipso facto postea privatus sit illo beneficio, vel officio: vel si Superior occultè revocavit concessam potestatem, vel officium: in his casibus, valent gesta per privatum, vel revocatum, quam diu occulta est privatio, vel revocatio officij, & communiter ignoratur, quia licet amiserit verum titulum, habet tamen coloratum, vel ob possessionem facti, quam retinet, & quâ privari non potest, nisi causâ cognitâ; vel propter communem errorem, si per sententiam Iudicis sit privatus, ob quem manent in privato, vel revocato Iudice aliqua reliquæ potestatis, & quia error ille ortum habet à titulo ab initio justo, & legitimo. *Sanch. cit. dif. 22. n. 56. & 58.* Quare talis etiam post privationem per sententiam hominis, vel revocationem amiserit potestatem, adeoque malâ fide, & injustè eam exerceat: non tamen propriè potest dici intrusus, quia ab initio Canonico titulo possessionem beneficii, vel officij accepit. *Sanch. c. l. n. 59. in fine.*

LXXXV. Assertio 2. Si titulus coloratus desit, & possessio officij, vel potestatis injusta sit, & cum mala fide; ut si quis, absque legitima Superioris auctoritate, se intruset in officium Parochi, Confessarij, vel Iudicis, vel permisit se institui à Superiore, quem scivit, potestatem non habere; tum actus ab eo gesti, non obstante errore publico, irriti sunt, & invalidi, in utroque foro, ob defectum tituli colorati, & titulum saltem coloratum conferenditale officium. *Sanch. c. l. n. 49. & patet ex supra dictis.* Ut si v. g. alicubi

simplex Sacerdos à Magistratu seculari sit substitutus in locum Parochi absentis, qui per unum, vel duos annos omnia Parochi ministeria obivit, & communi incolarum opinione pro vero Parocho est habitus, hoc casu, sacramenta Confessionis, & Matrimonij ab eo collata, vel eo assistente, celebrata, quæ ad sui valorem Jurisdictionem Parochi requirunt, invalida erunt. *Sanch. c. l. n. 63.* Quia ad Magistratum secularem nullo modo institutio, & collatio parochia pertinebat, & sic substitutus caruit titulo etiam colorato: nam aliqui sequerentur multa inconvenientia, veluti, quòd, si quis malitiosè seingat Legatum Papæ, & exhibeat falsas litteras in testimonium suæ legationis, acta ab ipso forent valida in utroque foro, perinde, ac si verus Legatus esset. Item actus Jurisdictionis exerciti ab eo, qui se fingit Episcopum, ut decipiat rudes, & simplices, non minùs validi essent, quam si verus Episcopus esset, si adit in populo error communis, seu publicus, quæ valde absurda, & inconvenientia meritiò censenda sunt. Ratio est, quia tunc Jus, vel legitimum Superior non supplet defectum tituli, eò quòd ad æquata causa deceptionis oritur ab illegitimo Superiore, nullam potestatem instituendi habente, vel à Ministro, qui se malâ fide, sciens, se titulum nullum habere, in officium Parochi intruset, vel institui passus est. *Card. Lugo tom. 2. de Just. sec. 3. n. 23.*

LXXXVI. Ex dictis infertur primò. Gesta per Iudicem falsò existimatum, qui tamen titulum coloratum à legitimo Superiore collatum habet, quam diu adest error communis, valida sunt, sive sit ordinarius Iudex, sive delegatus; ut constat ex Juribus supra citatis, in quibus aperte sermo est de Iudice delegato, & tamen sententia ab eo lata tenet, licet verus Iudex non esset. *Sanch. cit. dif. 22. n. 16.*

Infertur secundò. Quando impedimentum occultum, & publicè ignoratum est Iuris Divini, vel naturalis, tum non valent acta per talem Iudicem existimatum, etiamsi titulum coloratum habeat: quia Jus positivum, & potestas humana, sive Ecclesiastica, sive Civilis, non potest supplere hujusmodi defectus, sicut potest supplere, & re ipsâ supplet defectus, seu impedimenta Iuris humani. v. g. si Iudex careat usu rationis, gesta per eum non valent, etiamsi communiter sanæ mentis existimetur: vel si Parochus non Sacerdos sacramentaliter absolvat, etsi Sacerdos communiter puretur, absolutio nulla est, quia Ecclesia non potest supplere defectum potestatis Ordinis, nec alia impedimenta Iuris naturalis, vel Divini. *Sanch. cit. dif. n. 27. & 29.*

Infertur tertio. Gesta per talem Iudicem sunt valida ipso Jure, etiam respectu illorum, qui sciunt ejusmodi impedimentum occultum Iudicis, dummodo publicè ignoretur: quamvis in odium, & penam illicitè communicantium cum Iudice occultè impedito, acta rescindi possint. *Sanch. c. l. n. 42.* V. g. si quis ab Episcopo excommunicato, quem ipse privatum scit excommunicatum, licet communiter ignoretur, beneficium accipiat, erit privandus eo beneficio; dum autem non privatur, potest illud retinere, tutâ conscientia: nam sicut error particularis alicuius, vel paucorum non sufficit; ut gesta per talem Iudicem valeant; si communiter sciatur impedimentum: ita nec particularis alicuius, vel aliquorum scientia impedit, quo minùs gesta respectu ipsius, vel illorum valeant;

leant, si impedimentum communiter, ac publicè ignoretur; cum leges non attendant, quæ in particulari casu contingunt, sed quæ communiter accidunt. Hoc tamen hodie post decretum Concilij Constant. non procedit, quando adest impedimentum excommunicationis toleratæ, & non vitandæ, cum gesta per talem excommunicatum sint valida, nec rescindenda sunt, respectu scientis impedimentum excommunicationis, quia licitum est hoc casu participare cum tali excommunicato: ergo, cum cesset delictum, cessabit etiam odium: seu pœna rescissionis: accedit, quòd talis excommunicatus retineat jurisdictionem. *Sanch. c. l. n. 43.*

Intertur quartò. Valida est sententia lata à Vicario Generali Episcopi, vel à Iudice delegato, mortuo Episcopo, vel delegante, etiam re adhuc integra, si eius mors communiter ignoretur, sive ipsius Vicarius, aut delegatus sciat mortem Episcopi, vel delegantis, sive ignoret: quia concurrunt communis error, & titulus à legitimo Superiore collatus, cuius extinctio, cum sit occulta, adhuc coloratus, seu, præsumptus titulus adest. *Sanch. c. l. n. 59. de quo plura supr. l. 1. tit. 28. & 29.*

LXXXVII. Assertio 3. Valde probabile est, si quipiam, sine Superioris collatione, vel auctoritate, adeoque sine legitimo titulo, bonâ tamen fide, existat in possessione alicuius Prælatuæ, vel officij, v. g. Iudicis, aut Parochi, acta illius valida esse, dum defectus collationis à Superiore non factæ publicè ignoretur; ut docet *Innocent. in c. pen. n. 2. de relig. domib. & tit. l. 1. Andr. n. 4. in fine. v. g. Titius in aliqua Parochia est receptus tanquam Parochus, bonâ eius fide, quia putavit, se ex mandato Episcopi susceptum esse, & postea idem Titius in illa Parochia toleratur, sciente Episcopo: hoc casu omnes actus jurisdictionis ab eo Parocho exerciti validi erunt. Arg. c. Consultationibus. 19. de iure patron. ubi dicitur, quòd actus præsentationis factus ab eo, qui tum erat bonâ fide in possessione juris patronatus, sit validus, licet postea appareat, jus præsentandi ad ipsum non pertinuisse. collationem dat *Abb. ibid. n. 3.* quia præsentare est veluti fructus quidam juris patronatus, sed fructus pertinent ad bonæ fidei possessorem, qui scilicet putat, sibi jus competere in re, ex qua fructus percipit, & non ad domini proprietatis. l. Bonæ fidei. 48. ff. de acquir. rer. dom. requiritur tamen, ut hoc casu, præter possessionem bonæ fidei, etiam error communis, seu publicus defectus adlit, quia publicè reputatur patronus, et si ipsa non sit. *Abb. c. l. n. 3.* Idque confirmatur: quia præter jurisdictionis bonâ fide tempore diuturno exercitæ potest præscribi ipsa jurisdictionis, accedente scientiâ, & patientiâ Superioris, & præscriptio perficitur; ut docet *Innocent. in c. Olim. 17. de restit. spoliar. & ibid. ibid.* ex quo sequitur, tales actus esse validos, neque enim per actus invalidos præscriptio perficitur, & jurisdictionis verè acquiri potest: & sicut jura dant ei, qui bonâ fide possidet Prælatuam, vel officium Iudicis, facultatè illud præscribendi: ita etiam conveniens est, ut validos actus exercere, ac veluti fructus officij sui percipere possit. *Arg. cir. c. Consultationibus. et c. Questionibus. 24. de elect.* ubi dicitur, quòd electio facta ab eo, qui bonâ fide est in possessione juris eligendi, valet, etiam si non sit legitime collata, tamen postea appareat, hoc jus ad alium de jure pertinere, quia electio in plerisque comparatur præsentationi. *Laym. ibid. n. 3.**

Verùm ad Jura supra allata, in quibus dicitur, quòd ad validitatem actuum præsentandi, vel eligendi sufficiat sola possessio bonæ fidei, sive quòd huiusmodi actus à bonæ fidei possessore sint exerciti, respondet *Abb. in cit. c. Nihil. n. 11. & Sanch. cit. dis. 2. n. 54.* illa procedere, quando jus non resistit possessioni, sicut non resistit actibus præstandi, & eligendi, quo minùs validè à possessore bonæ fidei fieri possint: at verò jura resistunt actibus jurisdictionis, seu officij, ne validè exerceri possint à possessore bonæ fidei, absque auctoritate, & concessione Superioris. Sed hoc ipsum, sine sufficiente fundamento, asseritur ab adversariis, qui ex jure probare deberent, quoad hoc esse discrimen inter actus eligendi, & præsentandi, & actus jurisdictionis exercitos à bonæ fidei possessore, præsertim cum jura potius assistere videantur bonæ fidei possessori, quàm resistere, dum illi tribunt facultatem præscribendi jurisdictionem: præscripta autem consuetudo dat, & aufert jurisdictionem, ut noti juris est: quamvis ad præscribendam, & possidendam jurisdictionem requiratur scientia, & patientia Superioris: quia universum in iuribus incorporalibus ad ea possidenda, & præscribenda requiritur scientia, & patientia domini, contra quem præscribitur; ut docet *Bartol. in l. 1. n. 5. & 6. & ibi Gl. C. de servit. & aqua. & alij Legistæ communiter.*

## §. II.

*An acta in uno Iudicio valida sint, & fidem faciant etiam in altero Iudicio?*

LXXXVIII. Assertio 1. Acta coram Iudice incompetente non valent, neque fidem faciunt coram Iudice competente; ut ex communi docet *Clarus in pract. crim. §. fin. q. 36. n. 49.* ubi asserit, quòd, si Iudex secularis remittat Clericum ad Iudicem Ecclesiasticum, non teneatur is stare processui factò contra Clericum coram Iudice seculari, quia sunt acta facta coram Iudice incompetente. Idque sumitur ex c. *At si Clerici. 4. in princ. h. t.* ubi Papa Alexander III. statuit: Si Clerici coram seculari Iudice convicti fuerint, vel confessi de crimine, non sunt propterea à suo Episcopo condemnandi: sicut enim sententia à non suo Iudice lata non tenet: ita nec confessio coram ipso facta. Si verò coram Episcopo suo Clerici crimina in jure confessi sint, vel de iis legitimâ probatione convicti, si quidem talia sint crimina, propter quæ, secundum Canones, suspendi debeant, vel deponi (veluti homicidium; adulterium; sacrilegium, & alia similia, de quibus suo loco. *Hostiens. hic. V. Dummodo talia.*) tum non immeritò suspendendi sunt ab Ordinibus, vel ab Altaris ministerio perpetuò removendi.

LXXXIX. Notandum primò. Non solum acta probatoria, seu probationes coram Iudice incompetente factæ non valent, sed etiam confessio judicialis non tenet, nec ex iis ad condemnationem Rei procedi potest. *Abb. hic n. 5.* sicut sententia quoque lata à Iudice incompetente, seu non suo irrita est.

Notandum secundò. Confessus in jure pro convicto habetur. c. *pen. inf. de confess. l. unic. C. eod. Gl. hic.*

*V. Confessi.* quamvis propriè confessus non dicatur convictus, quia hic ponuntur, ut diversa. *Abb. hic n. 4. & Dec. n. 2.* nam confitendo videtur quis se ipsum proderi: convictus verò est is, qui per legitimos testes, vel per instrumenta reus est probatus. *Gl. hic. V. Legitimas probationes. & Abb. n. 3.*

Notandū tertio. Licet confessio coram Iudice in competente facta non teneat, nec confitenti præjudicet, in ordine ad hoc, ut ex tali confessione eodēmodum possit, ut habetur in hoc c. potest tamen habere alios effectus non judiciales, videlicet quia facit legitimum iudicium, & præsumptionem criminis, ita, ut à suo Iudice cogi possit in sua confessione persistere, habetque talis confessio criminis coram Iudice incompetente, v. g. Clerici coram seculari Iudice, vim confessionis extrajudicialis, si non per vim, & ac metum tormentorum, v. g. sed sponte facta sit, ita, ut sic confessus à suo Iudice capi, judicialiter examinari, & torqueri possit: quia indignum est, ut, quod quisque suā voce confessus fuit, velit postea infirmare, propriòque testimonio resistere. *l. Generaliter. 13. in fin. C. de non numer. pecun. Gl. in l. Capite. 25. V. Accusator. junct. Gl. margin. ff. ad leg. Jul. de adul. Decius hic n. 7. & 17. Imol. ibid. n. 7. Beroi. n. 124. & 126. Jul. Clar. §. fin. q. 21. n. 132. & 134.* quamvis nonnulli contrarium teneant. Deinde, si Clericus coram Iudice seculari crimen confiteatur, interdum valdè læditur eius existimatio, ita, ut ad tollendam infamiam, & scandalum purgatio canonica ei indici debeat, ut tradit *Gl. hic. V. Condemnandi. & Decius ibid. n. 8.*

Notandum quartò. Possunt Episcopi, aliisque similes Prælati Ecclesiastici pœnas suspensionis, vel depositionis Clericis criminosis infligere pro criminis qualitate: quædam enim crimina merentur depositionem, quæ est perpetua remotio ab Ordine Clericali, officio, & beneficio; quædam suspensionem, quæ est remotio à prædictis ad certum tempus tantum. *Abb. hic n. 7. & 33.*

*XC.* Porro in cit. c. At si Clerici. §. De adulteris. h. t. additur, quòd Episcopus possit cum Clericis, qui adulteria, vel ipsi minora crimina commiserunt, post peractam pœnitentiam, dispensare. Sed non debet Clericum, propter crimen depositum, idcirco tradere Iudici seculari, cum Episcopus suo functus sit officio (serendo sententiam depositionis) neque æquum est, ut quis duplici pœnâ conteratur: siquidem una sufficiat, & sit commensurata delicto, aliàs bene posset duas pœnas inferre; ut ait *Gl. ibid. V. Duplici.*

*XC I.* Pro explicatione hujus §. Notandum primò. Adulterium hic videtur numerari inter crimina minora, in quibus potest Episcopus, post peractam pœnitentiam, cum Clericis dispensare, cum tamen sit unum ex criminibus majoribus, quæ secundum Canones privationem beneficiorum, imò, & depositionem ab officio, & Ordine Clericali in perpetuum merentur; ut docet *Navarr. in Man. Præl. c. 27. n. 248. & Canonistæ communiter in cit. c. At si Clerici. 4. h. t. & hinc in c. Quid in omnibus. 16. Caus. 32. q. 7.* dicitur: Quid in omnibus peccatis adulterio gravius est? quod *Gl. hic. V. De adulterijs.* explicat, quòd sit gravius, id est, communius, quia communius, & frequentius committitur adulterium, quàm alia crimina: alioquin verò quoad criminis gravitatem, multa alia

crimina sunt graviora, ut incestus, homicidium, hæresis &c. Verum adulterium hic non ponitur inter minora crimina: sed dicitur: De adulterijs, & alijs criminibus, quæ sunt minora (scilicet adulterio) posse dispensare Episcopus. *Imol. hic n. 9. & Dec. n. 5.* Minora verò crimina hic dicuntur, ob quæ non pœna depositionis in perpetuum, sed suspensionis tantum ad tempus imponitur, nisi post iteratas monitiones, delinquens in crimine contumaciter persistat, & incorrigibilis fiat; tū enim pœna depositionis in perpetuum infligi ei poterit; ut de concubinarijs Clericis habetur in *Concil. Trid. sess. 25. c. 14. de reform. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 5. p. 3. c. 5. n. 2. in fine.* Itaque ex cit. §. De adulterijs. non probatur, adulterium computari inter crimina minora, sed Episcopus dispensare posse in adulterio, quod gravius est, & in alijs criminibus, quæ, licet graviora sint, minora tamen sunt adulterio. *Barb. in collect. ibid. n. 10.* quod tamen intelligendum est de Canonicis pœnis criminum non ipso Iure latis, seu ipso facto inflictis; in his enim dispensare non potest Episcopus; ut tradit *Gl. communiter recepta in c. Cupientes. 16. §. Ceterum de elect. in 6.* sed de pœnis ferendis, ut dictum supra l. 1. tit. 31. n. 71. ita tamen, ut quòd gravius delictum fuerit, tantò major causa dispensandi, seu relaxandi pœnam requiratur. *Abb. in cit. §. De adulterijs. n. 9. h. t.*

*XCII.* Sed hic opponi potest, quòd ex dictis sequitur, Episcopus non posse dispensare in criminibus majoribus, ut per sensum contrarium colligi videtur ex cit. §. Adulterijs. ubi dicitur: De adulterijs, & alijs minoribus criminibus dispensare potest Episcopus. ergo non de majoribus eo criminibus, quia, quòd de quibusdam conceditur, de alijs negatur. Duplex est sententia, ut refert *Gl. hic. V. Adulterijs.* Prima est, quòd quævis dispensatio censetur esse prohibita Episcopis, nisi eis sit expressè concessa, adeoque quòd Episcopi tantum dispensare possint in casibus Iure expressis. *Abb. hic n. 4.* Altera sententia magis communis est, ut ait *Gl. hic.* quòd Episcopi in omnibus criminibus semper possunt dispensare, nisi id eis specificè reperitur prohibitum: neque hic locum habet argumentum à contrario sensu, quia in multis gravioribus criminibus est Episcopis Iure concessum dispensare, ut in hæresi, sacrilegio, simonia &c. quia facultas dispensandi in criminibus, cum sit gratia, seu beneficium Principis alicui tercio non præjudicans, nisi concedenti, respectu illius latè, & benignè eam interpretari oportet, ut notat ipse *Abb. hic n. 11.* Ac proinde ita, ut semper censeatur concessa, nisi sit interdicta. *Gl. in c. Cum illorum. 32. V. Interdicta de sent. excomm. Innoc. in c. Dilectus. 15. de temp. ordin.* Quare adulterium in cit. §. De adulterijs. tantum exempli causâ positum esse, dicendum erit. Illud hic addendum. Aliquando in Iure expressè prohibetur, seu denegatur Episcopis, & similibus Prælatibus dispensandi facultas, vel S. Pontifici reservatur; & tunc certum est, eos dispensare non posse: aliquando verò expressè, & specialiter ea ipsis conceditur: aliquando verò solum implicite, seu virtualiter concessa censetur, ut, quia Ius dicit, in hoc casu dispensari posse, non tamen exprimentem, per quem, nec de Episcopis faciendo mentionem expressam: tunc enim censeri debet, tacite esse concessam Episcopis dispensandi facultatem, cum

rum de Papa dubitari non possit, eum dispensare polle. Barb. in cit. c. At si Clerici in §. De adulteris n. 22. c. 23. h. t. In prætermisissis.

XIII. Notandum secundò. Si Clericus ob crimen privatus sit, vel depositus ab Ordine Clericali, officio, & beneficio, non debet actualiter degradari, & tradi Curia seculari, quia non est bis puniendus, si semel sit sufficienter punitus; ut habetur in cit. §. De adulteris in fine; nisi post depositionem fuerit contumax, & incorrigibilis. Gl. fin. hic, de quo infra.

XIV. Assertio 2. Acta unius Iudicij coram Iudice competente, v. g. seculari, probant, & fidem faciunt etiam in altero Iudicio, coram Iudice Ecclesiastico, dummodo inter easdem personas, & in ordine ad eundem finem, seu effectum producantur; ut docet Abb. in cit. c. At si Clerici. 4. n. 12. h. t. & ibid. Decius n. 14. Idem docet Innocent. in c. Causam. 11. n. 3. de testib. ubi ait, quòd attestaciones, seu producta testimonia, & omnia alia acta probatoria inter easdem personas, & eorum heredes valent, quando ad idem agitur, & fidem faciunt etiam in alio Iudicio, tametsi sententia lata non fuerit. V. g. si quis per testes probavit, se Dominum esse fundi, quem postea vendidit, illa testimonia producta valebunt etiam, & prodeant emptori, sicut sententia prodesset, si pro ipso venditore lata esset. Idque sumitur ex c. 2. de except. in 6. ubi iuncta Rubricâ traditur, quòd exceptio rei iudicatæ, adeòque sententia lata per Iudicem Ecclesiasticum admitti debeat in foro seculari: & è converso lata per Iudicem secularem admitti debeat in foro Ecclesiastico, si causa sit mixti fori, seu quæ ad Iudicem tum Ecclesiasticum, tum secularem, secundum iura, vel consuetudinem, pertineat, & eadem personæ sint in utroque Iudicio, juxta Gl. ibid. V. Admitti, & Io. Andr. & Pet. Anchar. ibid. in notatis. sicut etiam sententia lata ab uno Iudice competente servari debet à quocunque alio; ita & idem de actis iudicialibus dicendum est; ut docet Innocent. in cit. c. Causam. in fine, de testib. Dec. in cit. c. At si Clerici. n. 14.

XCV. Exemplum habetur in c. Multis. 8. caus. 1. q. 1. ubi dicitur, quòd Episcopi, seu Iudices Ecclesiastici non possint aliquem à communionem (fidelium) removere, nisi vel sponte confessum de crimine, aut in aliquo, sive seculari, sive Ecclesiastico Iudicio convictum: nam Iudex Ecclesiasticus, & secularis se mutuo adjuvare debent; ut tradit Gl. Communiter recepta, in c. 1. V. Publicum. de offic. Iud. Ordin. ita, ut, si Iudex Ecclesiasticus aliquem excommunicavit, Iudex secularis, requisitus ab Ecclesiastico, compellere eum debeat ad observandam sententiam, & obediendum Iudici Ecclesiastico: & vice versâ, si Iudex secularis aliquem ob crimen proscriptis, Ecclesiasticus eum per censuram compellat ad obediendum Iudici seculari. Innocent. in cit. c. 1. n. 2. de offic. Iud. ordin. Abb. in cit. c. At si Clerici. n. 12. h. t. Est tamen duplex discrimen quòd hoc inter utrumque Iudicem, ut post Innocent. notat Inola in cit. c. 1. n. 14. & Abb. n. 11. de offic. Iud. ordin. nam Primò, Iudex Ecclesiasticus potest per censuram Ecclesiasticam compellere Iudicem secularem, si recusat sibi petitum auxilium impendere; non eadem vicissim secularis potest compellere Ecclesiasticum, quia hic est maior illo. Deinde Iudex secularis requisitus, ut juvet Iudicem Ecclesiasticum, non potest processum Iudicij ab eo petere, & examinare,

si nuda executio ipsi demandata sit, ut v. g. aliquem tanquam excommunicatum jubeat vitari à subditis, sed simpliciter parere debet, nisi notorium sit, processum esse injustum. Contrà verò Iudex Ecclesiasticus rogatus à seculari Iudice, ut suum auxilium ei impertiat, excommunicando v. g. criminofum, prius potest, & plerumque debet petere, & examinare processum Iudicij secularis, ut de contumacia Rei ipsi constet. Porro, quòd dictum est, Iudicem secularem non posse ab Ecclesiastico petere processum Iudicij, id intelligi debet, si crimen merè Ecclesiasticum sit, ut hæresis, cum de tali crimine non directè, nec indirectè cognoscere possit Iudex secularis, sed post latam à Iudice Ecclesiastico sententiam, meram executionem sibi demandatam habeat; ut constat ex c. V. inquisitionis. 18. §. Prohibemus de heret. in 6. idemque est de alio crimine merè Ecclesiastico. Secus verò est, si propter aliud crimen commissum, Clericus degradetur, & tradatur Iudici seculari, ita, ut efficiatur de foro, seu jurisdictione ipsius; tum enim Iudex secularis non debet eum punire, nisi fiat ipsi fides de iustitia processus in foro Ecclesiastico: quia tunc non ut merus executor, sed ut Iudex contra sibi subditum procedit. Abb. in cit. c. 1. n. 12. de offic. Iud. ordin.

Aliud exemplum adfert Laym. in cit. c. At si Clerici. 4. h. t. n. 3. laicus quispiam vulneravit Clericum, qui ex vulnere obiit: sed cum laicus vulnerans ab heredibus defuncti conventus esset coram Iudice seculari ad compensandum damnum, is excepit, quòd non ex percussione, seu ictu, sed ex negligentia chirurgi mortuus sit, ideòque se non teneri, nisi de vulnere, non de occiso, juxta l. Qui occidit. 30. in fine. ff. ad leg. Aquil. Cum autem testes deposuissent, & sententia lata fuisset à Iudice seculari pro vulnerante contra chirurgum, vulnerans postea coram Iudice Ecclesiastico petijt absolutionem ab excommunicatione Canonis, quam incurrit propter percussione Clerici: sed Iudex Ecclesiasticus eum absolvere noluit, nisi prius parti satisfecisset: hoc casu, si percussor satisfecerit, vel mox satisfacere paratus sit de damno illato, ob vulnus inflictum, non item de damno dato, ob mortem secutam ex negligentia chirurgi, Iudex Ecclesiasticus eam satisfactionem admittere debet, quia testimonia producta, & sententia lata pro vulnerante in Iudicio seculari, faciunt fidem etiam coram Iudice Ecclesiastico.

XCVI. Assertio 3. Acta unius Iudicij non probant, nec fidem faciunt in altero, si hoc ad diversum finem, seu effectum tendat, adeòque varietur modus agendi. Abb. in c. At si Clerici. n. 12. h. t. & ibid. Decius n. 15. & Alex. de Nevo n. 33. sic v. g. acta, seu testimonia producta in Iudicio summano, non faciunt plenam fidem in Iudicio ordinario, etiam inter easdem personas, c. Veniens. 38. & ibid. Felin. n. 19. de testib. l. pen. junct. Gl. V. Alimemororum. ff. de his, qui suis vel alien. jur. sum. Gail. l. 1. obs. 103. n. 3. Item, si actum sit coram Iudice seculari contra criminofum ad pœnam legalem, postea verò agatur super eodem crimine coram Iudice Ecclesiastico, ad pœnam canonicam, seu Ecclesiasticam; acta prioris Iudicij non probant, nec faciunt fidem in posteriore, propter varietatem modum agendi, & quia ad aliam pœnam agitur. Alex. de Nevo c. l. n. 33. Præterea, si crimen sit mixti fori, de quo tam Iudex Ecclesiasticus, quam secularis,

ularis, uterque proprio jure cognoscere, & judicare potest, sed in ordine ad diversos effectus, v. g. sacrilegium, sortilegium &c. tum quia concessum est Iudici Ecclesiastico causam de novo cognoscere, licet jam cognita fuerit coram seculari: aut vice versa, acta probatoria coram uno Iudice producta non necessario faciunt fidem coram altero, nec alter illa tenetur admittere; neque sententia absolutoria ab uno lata præjudicat, aut impedit, quò minus & alter Iudex proprium processum instituere possit: nam, cum per huiusmodi crimen mixtum duplex Respubl. lædatur, tum Civilis, tum Ecclesiastica; ideo duplex quodammodo crimen videtur, & ad utrumque Iudicem pertinet de eo principaliter cognoscere. *Decius in cit. c. At si Clerici. n. 15. h. t.* quamvis Iudex posterior v. g. Ecclesiasticus, non prohibeatur etiam processum Iudicis secularis petere, illique se conformare, & si probationes omni suspicione erroris careant, secundùm illas sententiam proferre, saltem si partes non repugnent: quia Iudex secularis, & Ecclesiasticus se invicem adjuvare debent; ut docet *Laym. l. 4. Theol. mor. tract. 9. c. 2. n. 7.* ubi exemplum ponit: si quis v. g. se ipsum interfecisse dicatur, causa ista ad civile forum spectat, in ordine ad confiscationem bonorum, juxta consuetudinem regionis: ad Ecclesiasticum verò tribunal pertinet, in ordine ad hoc, ut sacra sepultura mortuo denegetur. Similiter acta in Iudicio civili non probant, nec fidem faciunt in Iudicio criminali. *Abbas in cit. c. At si. n. 29.* Quia ad diversum finem tendit utrumque Iudicium.

XCVII. Porro, quod supra dictum est n. 94. acta unius Iudicij interdum facere fidem in alio Iudicio, nempe inter easdem personas, & si ad eundem finem, seu effectum tendant: id intelligi debet solum de actis causæ, seu litis, quæ tendunt ad eiusdem decisionem; ut sunt depositiones testium, instrumenta, partium confessiones, & similia acta probatoria: non verò de actis Iudicij, quæ tendunt ad litis ordinationem, ut est libellus, litis contestatio, termini dilatatorij, satisfactiones judiciales &c. huiusmodi enim acta non valent in alio Iudicio, quippe, quæ pereunt per litis instantiam, l. *Properandum. 13. §. Et si quidem. C. h. t.* non autem acta probatoria. *Marant. de Ord. jud. p. 5. n. 55.*

Deinde confessio propria, facta ab aliquo in uno Iudicio, adduci potest tanquam probatio ad illum convincendum in alio Iudicio: licet aliud sit in attestacionibus, & instrumentis productis: quia propria confessio omnem probationem superat, nec ullam excusationem Rei admittit. *Arg. c. Per tuas. 10. de probat. Innocent. in c. Per inquisitionem. 26. n. 2. de elect. & ibid. Abbas. n. 12. & Laym. n. 3.*

XCVIII. Illud postremò hic addendum, quòd rescriptum impetratum contra violentum possessorem, produci etiam potest contra eum, qui in violentam possessionem scienter succedit; prout sumitur ex *c. Quis 11. h. t.* Nam cum Vitus violenter occupasset Ecclesiam parochialem Pancratij, hic tanquam spoliatus rescriptum Apostolicum impetravit ad Iudices delegatos contra iniquum occupatorem. Sed Vito defuncto, Rogerius in eandem Ecclesiam est ingressus (vel potius se auctoritate propria intrusit) Re delatà ad Papam Cælestinum III. is præcepit, ut secundùm formam prioris rescripti, sub ipsius Iudicibus, mediante Iustitià, produceretur, & causa inter Rogerium, & Pancratium

terminaretur, sicut inter eundem Pancratium, & Vitum, si viveret, terminata fuisset.

XCIX. Notandum primò. Duplex est intellectus hujus c. Unus est, ut refert *Gl. hic V. Sicut. in fine.* quòd Iudices delegati hic processerint ex vi posteriorum litterarum, sive secundi rescripti, ac mandati; ut colligi videtur ex verbo: *Præcipimus, sic procedi,* scilicet vigore hujus mandati præsentis: adeoque quòd prius rescriptum, quòd (quippe personale) morte Viti spoliatoris exspiraverat, ex auctoritate posterioris rescripti, seu mandati vires acceperit, ita, ut contra ingressum Ecclesiam, post mortem Reftoris illius, vi ejusdem secundi mandati processerint, cum aliàs non potuissent. *Hofstiens. hic V. Præcipimus.*

Alter, & probabilior intellectus est, quem sequitur *Gl. hic V. Sicut.* & alij DD. ferè communiter, quòd contra Rogerium, qui successit Vito in Ecclesia, Iudices processerint, vi prioris rescripti, seu mandati; ut patet ex illis verbis: *Præcipimus, ut secundùm formam priorum litterarum &c.* nam aliàs decisio hujus c. superflua foret, & frustra posita sub hoc tit. cum nullum dubium esse possit, quòd vigore secundi mandati procedi potuissent, si ita præceptum fuisset. *Abb. hic n. 5.*

Notandum secundò. Ex rescripto Apostolico impetrato ad Iudices delegatos contra antecessorem in Ecclesia, seu beneficio, iniquum occupatorem illius, sed postea defunctum, potest agi, & conveniri is, qui in vitiosa possessione illius Ecclesiæ, vel beneficii eidem scienter successit, id est, sciens, antecessorem violenter occupasse Ecclesiam, uti sumitur ex hoc c. Ratio est, quia, licet aliàs rescriptum, quippe strictè interpretationis, regulariter, & ordinariè non extendatur ad personas non expressas in illo, *c. P. & G. 40. de offic. Iud. deleg.* excipi tamen debet, nisi quis scienter succedat in vitiosam possessionem antecessoris in beneficio, vel alia re: quia tunc ratione violentiæ, & injustæ occupationis, beneficium mansit affectum, & cum illo vitio in successorem transiit, & hac ratione successor, etsi particularis, Iuris fictione censetur non alia, sed eadem persona cum defuncto, & ratum habere factum antecessoris: idèque in odium talis vitiosi successoris extenditur ad eum quoque rescriptum, ita, ut vi illius etiam contra ipsum procedi possit, sicut contra priorem violentum possessorem, seu occupatorem, vel potius in eo rescripto comprehenditur etiam talis successor, etsi non fuerit nominatim expressus, *Gl. hic V. Sicut. & Abb. n. 5. Barbosa. in Collect. hic n. 6.* Idèque statutum est secundùm aequitatem Canonicam, tum ut lites eò citius finiuntur, *c. finem. 5. de dolo.* si novà impetratione alterius rescripti non sit opus ad conveniendum successorem in vitiosa possessione: tum quia, etiam secundùm Ius Civile, vitium possessionis ad successorem in ea transit, l. *Vitia. 11. C. de acquir. poss. Abb. c. l.*

Notandum tertio. Quando in hoc c. præcipitur, ut procedatur, & causa terminetur inter Pancratium impetrantem rescriptum, & Rogerium successorem in Ecclesia, sicut processum fuisset, inter Vitum primum occupatorem, si viveret, & Pancratium: dictio, *Sicut,* non significat omnimodam similitudinem; quia contra primum iniquum occupatorem competeat interdictum. *Unde vi.* quod transit ad successorem universalem defuncti, cujus personam heres repræsentat, non autem contra successorem singularem in Ecclesia, vel beneficio: quia in his non datur heredita-

in Ecclesia competit conditio ex l. *Sepe*. 18. De  
*re. h. l. n. 6. & 8.* de quo plura infra  
 dicto titulo.

## S. III.

De Ordine, seu modo procedendi sum-  
 marii, & de plano in Ju-  
 dicio.

Duplex est processus, seu modus procedendi in  
 iudicio, unus ordinarius, seu plenarius, ac solemnis,  
 in quo servantur omnes solemnitates Jure præscriptæ  
 ad hujusmodi processum, de quo agemus hoc Libro  
 infra à tit. 3. & seqq. Alter simplex, extraordina-  
 rius, & summarius, in quo plures solemnitates aliàs  
 requisitæ omittuntur; de quo hoc §. aliquid dicemus,  
 quia & in hoc titulo de eo agitur.

C. Quæritur primò. In quo consistat proces-  
 sus summarius, sive quid sit procedere summarie, vel  
 simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ Ju-  
 dicij? Resp. Ad talem processum Primò. non  
 requiritur necessariò libelli oblatio, nec litis contesta-  
 tio, & potest sic procedi etiam tempore feriarum po-  
 litiarum, seu civilium, ut messium, & vindemiarum,  
 quæ ob necessitates humanas sunt concessæ: ampu-  
 tanda sunt dilationes, ut lis, quantum fieri potest, ab-  
 breviatur: repellenda sunt exceptiones, & appella-  
 tiones dilatorie, & frustratorie: refræmandæ contem-  
 ptiones, & jurgia partium, & Advocatorum, & super-  
 flui testes, ac probationes. Quæ verò requiruntur  
 hæc naturali, aut gentium, non sunt omittenda in  
 hoc iudicio, seu processu. Quare citatio partis, &  
 instrumentum de calumnia, vel malitia, sive de verita-  
 tedicenda, ne veritas occultetur, etiam adhuc proces-  
 sus non excluditur: petitio quoque faciendæ est in ex-  
 peditio litis, sive in scriptis, sive verbo: utrique parti  
 terminus dari potest, ad exhibenda omnia ac-  
 tas probationes quoque necessaria, & defensiones  
 legitime, etiam in hoc processu sunt admittendæ: in-  
 terrogandæ etiam sunt partes, sive ad earum instan-  
 tiam, sive ex officio Judicis, si hoc æquitas suadeat, ac  
 sententiæ proferendæ est à Judice sedente, vel  
 abeunte, etiam, si videbitur, conclusione in causa non  
 facta; quæ omnia habentur in Clement. *Sepe*. 2. De  
 verb. signif. & fusiè tradit Marant. de Ord. Judic. p. 4.  
 Tit. 9.

CII. Porro ob duas potissimum causas sum-  
 marius processus institui solet. 1. Quia sunt tales  
 causæ, quæ celerem expeditionem requirunt, ut sunt  
 quædam causæ Ecclesiasticæ, Clement. 2. h. l. de qui-  
 bus postea. Marant. cit. dis. 9. n. 42. Item causæ in-  
 cidentes summarie cognosci possunt, secundum *Gl. in*  
*ca. 17. Procedendum, Ut lite non contest.* Ubi ait, su-  
 per causa incidenti posse recipi testes, etiam lite non  
 contestata, adeoque summarie procedi. Lites quo-  
 que mercatorum, ob frequentiam, citò expediti de-  
 bent; adeoque in ijs proceditur ex æquitate, omittis  
 solemnitatibus, & apicibus Juris, Mar. c. l. n. 48. Si-  
 militer in causis alimentorum, & tributorum, seu col-  
 lectarum, nullus ordo Juris requiritur, sed solum sic  
 præceptum de solvendo, Marant. c. l. n. 65.  
 Præterea causæ naufragorum, pauperum, & mise-  
 rabilium personarum, ut sunt viduæ, & pupilli, expe-

diendæ sunt de plano, & sine scriptis, Mar. c. l. n. 71.  
 & 77. Sicut, & causæ mercedum, & salariorum, Ma-  
 rant. n. 81. Vel quando agitur de tutore dando pu-  
 pillo, vel curatore per Judicem, vel de filio emanci-  
 pando, aut adoptando, Mar. c. l. n. 85. & pluribus  
 aliis causis, de quibus idem videri potest cit. dis. 9. à  
 n. 42. & pluribus seqq.

Altera causa instituendi processus summarij est,  
 si agatur de causis modicis, sive in quibus de parvo,  
 aut facile reparabili præjudicio agitur, Marant. cit.  
 dis. 9. n. 72. Cujusmodi sunt causæ civiles, in quibus  
 agitur de debito modicæ summæ, spectatâ qualitate  
 personarum, secundum arbitrium Judicis: nam v. g.  
 causa 100. aureorum inter duos Principes, vel valde  
 divites censetur modica, quæ inter pauperes, aut me-  
 diocri fortunæ magna reputatur, Mar. c. l. n. 73, vel  
 de causis agitatis inter personas viles, & imperitas, vi-  
 delicet rusticos, & simplices; ut colligitur ex *Auth.*  
*Nisi breves. C. De sentent. ex peric. recit. & tradit Abb.*  
*in c. 1. n. 17. De libel. oblat.* Præterea, si agatur de de-  
 lictis levibus, in quibus de plano procedere oportet.  
 l. *Levia. 6. ff. De accusat. ubi Bart. n. 12.* ait, quòd in  
 criminibus levibus non debeat fieri processus Judi-  
 ciatius, sed de plano, inspectâ facti veritate, ut in de-  
 lictis adolescentium, Religiosorum non graviter in-  
 famantibus. Denique, si agatur iudicio possessorio  
 momentaneo, sive præparatorio solum ad aliud Judi-  
 cium possessorium, vel petitorium subsequens, per  
 quod facile reparari potest causa possessionis, adeoq;  
 de parvo præjudicio agitur; tum summarie proceden-  
 dum est, & de plano: secus, si agatur ad decidendum su-  
 per possessione, & causa possessoriæ reparari non pos-  
 sit per petitorium, quia hoc deficit, vel probari non  
 potest, Marant. c. l. n. 43. & 44.

Est autem hoc discrimen inter prædictos duos  
 modos processus summarij; nam, si procedatur sum-  
 mariè, propter causæ levitatem, seu parvitatem, tum  
 ordinariè non est necessaria plena probatio, sed suffi-  
 cit semiplena, per unum testem, vel etiam juramen-  
 tum, quia agitur de modico præjudicio, & sic est cau-  
 sa summaria, quoad solemnitates, & probationes. Si  
 verò summarie procedatur, quia causa celerem expedi-  
 tionem requirit, tum plena plerumque probatio est  
 necessaria, si causa sit magni præjudicij, ita, ut facile  
 reparari non possit; & tunc dicitur causa summaria  
 solum quoad aliquas solemnitates Judiciales, quæ  
 omitti possunt. Bartol. in l. 1. §. Quod si sit. ff. De Prætor.  
 stipul. Mar. c. l. n. 46. Idque colligitur ex cit. Clem. 2.  
 de verb. signif. ubi dicitur, in tali processu summario  
 requiri probationes, quæ necessaria videntur, consi-  
 deratâ qualitate, seu gravitate causæ.

CII. Quæritur secundò. In quibus causis de  
 Jure Canonico à Judice Ecclesiastico procedi possit  
 summarie, & de plano, ac simpliciter, solemnè Ordi-  
 ne judiciario non servato? Resp. de his agitur in  
 Clement. *Dispensatio. 2. h. l.* Nam quia observatio-  
 ne subtilis ordinis judiciarij, interdum prorogan-  
 tur, seu nimium protrahuntur lites, non sine damno  
 partium litigantium, ideo Clemens V. in Concilio  
 Viennensi statuit, ut in causis electionum, postula-  
 tionum, vel provisionum (quæ factæ sunt, vel fa-  
 ciendæ, *Gl. hic, V. Provisionibus.*) aut in causis digni-  
 tatum, personatum, officiorum, Canonicatum,  
 præbendarum, aut decimarum (ad quas præstandas  
 possunt,

possunt, qui tenentur ad eas, præmoniti per censuram Ecclesiasticam compelli, appellatione remota, ut addit *Gl. hic. V. Cohereri.* nec non in causis matrimoniorum, vel usurarum, & quæ easdem continent, agitandas procedi possit de cetero simpliciter, & de plano, ac sine strepitu Iudicii, & figurâ. Idque voluit idem Papa non solum ad futura negotia, sed etiam ad præsentia, & per appellationem adhuc pendencia extendi.

CIII. Ubi notandum primò. Quamvis Papa statuere potuisset, ut non tantum in causis hic expressis, sed etiam in aliis summarie, & de plano, ac sine strepitu Iudicii procederetur, ut in causis primitiarum, & oblationum, mortuorum, testamentorum, & legatorum, maxime ad pias causas, in quibus videtur subesse eadem ratio, ne scilicet lites protrahantur: tamen specialiter id fuit hoc loco statutum de causis beneficialibus, ne Ecclesiæ diu vacantes in spiritualibus, & temporalibus patientur detrimentum: & in causis matrimonialibus, ne interim coniuges diu separati exponantur periculo adulterium committendi: & in causis usurarum, in quibus etiam versatur periculum peccati, cum usurarij teneantur ad restitutionem, & interim, si sint in culpabili mora restituendi, persistant in peccatis: cuiusmodi periculum peccati etiam est in ijs, qui decimas non solvunt illis, quibus ex debentur: & ideo æquitas suadebat, ut in his causis, quæ celerem expeditionem litium exigunt, daretur Iudici facultas procedendi summarie, & de plano, ac sine strepitu, & figura Iudicii. *Gl. hic. V. Restringere. & Vivian. hic in Ration. Iur. Pontif. Idemque dicendum est de causis, quæ contingunt prædictas causas, & cum iis connexæ sunt, ut in causis electionum, vel provisionum, si quaratur, ad quem pertineat electio, vel provisio: in causis usurarum, cum petitur relaxari iuramentum de illis solvendis, c. 1. de iurejur. Gl. hic. V. Tangentibus. in matrimonii, si agatur de sponsalibus, Gl. hic. V. Matrimonij. quamvis aliàs in constitutione odiosa disponente de matrimonii non comprehendantur sponsalia, ut notat *Gl. marg. hic lit. d.* Item, si agatur de restitutione dotis, soluto matrimonio, ex quo dependet dos, adeoque summarie debet cognosci, cum ipsa causa matrimonij. *Marant. cit. d. 9. n. 57.**

CIV. Notandum secundò. Hac constitutio habet locum etiam in causis hospitalium, & Xenodochiorum, quia appellatione officiorum veniunt etiam hospitalia, nam Rector hospitalis dicitur habere officium. *Gl. hic. V. Beneficiis. & Abb. n. 1.* Idemque dicendum de causis Monachorum, cum Monachus quoque sit officium late sumptum, adeoque saltem ex æquitate hic sub eo comprehenditur. *Gl. jam cit.* Quamvis proprie loquendo, Monachus non sit officium, prout hic accipitur pro administratione rerum Ecclesiasticarum, sine iurisdictione, adeoque sub dispositione huius Clementis Ecclesiæ Cathedralis, nam appellatione Canonatus comprehenditur etiam Canonatus Regularis. *Abb. hic n. 2. 3. & 4.* Verum, etsi Monachus non sit proprie officium, est tamen beneficium Regulare, adeoque sub beneficiis hic contineri potest. *Azor. p. 2. Instit. l. 3. c. 26. q. 7. Barb. hic num. 11.*

Porrò hic distinguendum est, an agatur de titu-

lo beneficii, ut quia inter duos lis est de collatione sibi factâ, tunc enim est causa beneficialis; & debet, vel potest tractari summarie: secus est, si agatur de proprietate Ecclesiæ, ut quia Episcopus vult unam Ecclesiam unire alteri, quia dicit illam esse suæ Diocesis, vel se habere jus in illa; tunc enim in tali causa ordinarius processus servandus est, quia non est lis de beneficio Ecclesiastico, sed de proprietate, seu iure Ecclesiæ. *Gl. in cit. Clem. 2. V. Beneficiis. h. r. Marant. cit. d. 9. n. 42.* Idemque est, si agatur ad removendum aliquem à beneficio propter crimen, non enim censetur esse causa beneficialis, nisi negetur etiam titulus beneficii ei competere. *Gl. in cit. Clem. V. eod. & Abb. ibid. n. 6.*

Notandum terriò. Causa decimalis dicitur, non solum, cum agitur contra obligatum ad solvendas decimas, sed etiam, cum questio est inter duas Ecclesias super proprietate, sive iure percipiendi decimas; adeoque tum etiam locus est huic constitutioni. *Gl. hic. V. Decimis. & Abb. n. 7.* Causa matrimonialis hic dicitur, quando agitur ad impediendum, vel dirimendum vinculum matrimonij, tunc enim procedi debet summarie: secus, si agatur de crimine adulterij ad separationem tori. *Gl. hic. V. Matrimonij.* Denique usuraria questio hic dicitur, cum actor petit, ut usurarius restituat usuram, vel eius heres, etsi reus eas neget restituendas, & locum habet hæc constitutio. *Gl. hic. V. Iuris. & Abb. n. 9.* Quòd si ponatur, usuras repeti posse contra laicum in foro seculari, de quo *infra tit. seq.* tamen non potest in illo foro procedi summarie, quia Papa non potest, nec intendit tollere ordinariam processum, seu ordinem iudicarium, nisi quoad suum forum, scilicet Ecclesiasticum. *Gl. hic. V. Iuris.*

CV. Notandum quariò. Potest Iudex in causis hic expressis procedere summarie, & de plano, vel servato ordinario processu iudicario, prout magis expedire existimaverit, etiam partibus invitis; ut patet ex textu, ibi: *Valeat*, non dicit, *Debeat*. *Gl. hic. V. Valeat. & Abb. n. 12.* quare in casibus, in quibus dubitatur, an locum habeat ista constitutio, consultus est, ut Iudex servet ordinem iudicarium, quia hoc tutius est. *Gl. hic. V. Valeat. & Abb. n. 13.* Porriò præter Papam, nullus inferior Iudex potest causam cognoscere, vel committere cognoscendam summarie, & sine strepitu, ac figura iudicii, nisi in casibus hic exceptis: ut de Legato Papæ tradit *Durand. in spec. l. 1. tit. de Legato. §. Superest. n. 7.* quia non potest immutare constitutionem Iuris Canonici.

Notandum quintò. Constitutio respicit causas futuras tantum, non autem præteritas, nisi id exprimat, c. 2. *supr. de Constitut.* ideo hic expressum fuit, quòd hæc constitutio extendatur etiam ad tales causas jam inceptas, & pendentes per appellationem. *Gl. fin. hic.*

CVI. Ceterum alius casus, in quo summarie, & de plano procedi potest, imò & debet, habetur in *Extravag. Frequentes. unic. Inter communes. h. t.* in qua præcipitur, ut Prælatis, & Rectoribus locorum, & Religiosi Ordines Mendicantium observent Decretalem super Cathedralam 2. de sepult. *Inter communes;* quæ est innovata per *Clement. Dudum. 2. eod. tit. nec* que propter illam Religiosi Mendicantes injuriis afficiant, vel molestias inferant Prælatibus, aut Rectoribus

coribus locorum, neq; hi ipsis Religiosis. Quòd si aliqua injuria, vel molestiones hinc inde sint factae, in illis, quae judicalem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicij, procedatur; in alijs vero, prout qualitas excessuum exigit, justitia administretur: & molestatores quicumque, & contradictores, ac rebelles, quoties expedierit, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescantur, non obstantibus quibuscunque exemptionibus, & privilegijs, & alijs contrarijs. Est autem haec Extravagans posita sub hoc tit. quia in istis procedendum est summarie, & de plano, ut notat *Gl. hic. v. Summarie.*

## §. IV.

## De modo procedendi iudicialiter contra Clericos criminosos.

**CVII.** De hoc agitur in *c. Cum non ab homine. to. h. t.* Nam, cum ex Papa Caesestino III. quassum fuisset, utrum liceat Regi, vel alicui seculari personae judicare Clericos, cuiuscunque sint Ordinis, sive in furto, sive homicidio, vel perjurio, aut quibuscunque criminibus fuerint deprehensi: is respondit, si Clericus in quocunque Ordine constitutus (etiamsi primam tonsuram tantum sit initiatus. *Hostiens. hic. v. Cuiuscunque Ordinis. & Imola n. 1.*) in furto, homicidio, vel perjurio, aut alio crimine (simili fuerit deprehensus, & legitime convictus, ab Ecclesiastico Iudice est deponendus. Quòd si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde crescente contumacia, anathematizari: ac denique, si in profundum malorum veniens contemplerit (omnes praedictas poenas) cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat: ideo ne alijs plurimis causa perditionis sit, per secularem potestatem comprimere debet, ita, ut ei exilium deputetur, vel alia legitima poena inferatur.

**CVIII.** Notandum primò. Quamvis *Hostiens. hic. v. Clericos;* intelligat nomine Clericorum, etiam alias personas Ecclesiasticas, quae eodem privilegio gaudet; ut non possint conveniri coram Iudice seculari: tamen hic sermo est solum de Clericis, qui deponi possunt, adeoque Ordinem habent, depositio autem non cadit in personas non habentes Ordinem; ut notat *hic Abb. n. 2.* Non solum autem ratione delicti deponendus est Clericus in sacris constitutus, sed etiam, qui est inferioris gradus, cuiuscunque sit Ordinis, etiam in minoribus tantum; ut colligitur ex hoc *c. Abb. hic. n. 3.* imò etiam Clericus primae tonsurae tantum, deponi, seu degradari potest; ut aperte sumitur ex *c. 2. De poenis in 6.* ibi: usque ad primam vestem, quae datur in collatione tonsurae. *Fagnan. hic. n. 13.*

Notandum secundò. Clericus ob furtum, homicidium, vel perjurium, aut aliud simile crimen deponi potest, seu verbaliter degradari, ut colligitur ex hoc *c.* non tamen ob crimen etiam irregularitatem inducens, quale est homicidium, perdit ipso jure privilegium fori, sed manet sub jurisdictione Ecclesiae: quamvis actualiter degradatus ipso facto sit privatus omni privilegio Ecclesiastico. *Abb. hic. n. 4. & 5.* Sed neque Clericus ob homicidium voluntarium factus

irregularis, ipso facto est depositus ab Ordine, sed deponendus per sententiam; nec propter tale crimen actualiter degradari debet, nisi sit incorrigibilis; ut patet ex hoc *c. Imol. hic. n. 4. & 5.*

Notandum tertio. Ad deponendum Clericum non sufficit, quòd fuerit deprehensus in crimine, sed etiam debet esse de eo legitime convictus: imò etiam exigitur, ut crimen fuerit confessus, vel de eo convictus. *Hostiens. hic. v. Convictus. & Imol. n. 2. in fine.* Nisi tamen crimen sit notorium per evidentiam facti, tunc enim deprehensus in crimine, etiam iudiciario ordine non servato, condemnari potest. *Imol. hic. n. 6. & Abb. n. 19.* requiritur tamen, ut legitime sit deprehensus, ita, ut non sit comprehensus à ministris laicis, nisi interveniente auctoritate Praelatorum. *Gl. hic. v. Deprehensus.* de quo plura *Abb. hic. n. 10. & 11.*

**CLIX.** Notandum quartò. Excommunicatio hic non sumitur pro minore, ut vult *Innocent. hic. in fine.* quia nomine excommunicationis absolute prolato intelligitur maior, *c. pen. de sent. excomm.* nec etiam accipi potest pro suspensione; ut putat *Gl. hic. v. Excommunicari.* nam depositus non potest suspendi, cum depositio suspensionem includat: sed per excommunicationem hic intelligi debet maior, quae fit sine solemnitate: per anathema verò illa, quae fertur cum solemnitate, & ceremonijs ab Ecclesia adhiberi solitis. *Hostiens. hic. v. Excommunicari. & Abb. num. 23.* cujus sollemnis excommunicationis, seu anathematizationis forma praescribitur in *c. Debent. 106. caus. 11. q. 3.* ubi dicitur: Debent XII. Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentis in manibus tenere, quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis, projicere debent in terram, & conculcare pedibus, &c.

Notandum quintò. Clericus, postquam est depositus, excommunicatus, & anathematizatus, si incorrigibilis perseverat, comprimendus est per secularem potestatem, seu Magistratum, eò quòd tunc Ecclesia non habeat ultra, quod faciat, ut dicitur in hoc *c.* non quidem ex defectu poenarum, siquidem Ecclesia posset adhuc alias poenas Canonicas Clerico incorrigibili infligere, cujusmodi sunt detrudere in Monasterium ad tempus, vel in perpetuum, *c. Delapsus. 5. Caus. 16. q. 6.* vel in perpetuum carcerem. *c. Novimus. 27. §. Pro illo. de verb. signif.* vel deportare in exilium perpetuum. *c. Accusatoribus. 3. Caus. 3. q. 5. c. 1. Iunct. Gl. fin. de calumniat.* Vel poenam verberum, contra sanguinis effusionem, *c. In Archiepiscopatu. 4. De raptoribus.* redigere in servitutem, *c. Ita quorundam. 6. De Judaeis.* confiscare omnia bona temporalia. *c. Excommunicamus. 13. §. Damnaei de heret.* Diffidare, seu proscribere Clericum cum omnibus bonis. *c. 1. §. Sacris. de homicid. in 6. & c.* Sed quia, propter potentiam, vel malitiam Clerici incorrigibilis, is non potest capi per Iudicem Ecclesiasticum, vel quia captus effringit carceres, aut per artem necromantiae se liberat, adeoque quia Ecclesia de facto condignè talem punire non potest, cum non possit inferre poenam mortis: ideo coercendus est per Iudicem secularem, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat, qui imponet legitimam poenam civilibus legibus decretam, scilicet mortis, vel mutilationis, vel exilij, pro qualitate delicti, *Abb. hic. n. 23. & 25.* Vel etiam Ecclesia hic dicitur, non habere ultra, quod faciat, nempe, ut

reus emendetur, & convertatur, quamvis possit adhuc alijs pœnis ab Ecclesia puniri. *Barb. in cit. c. Cum ab homine in prætermis. n. 7.*

Notandum sextò. Circa modum procedendi contra Clericum criminofum, fervandi sunt hi gradus. 1. Si constet de delicto, quod depositionem mereatur, est deponendus. 2. Si incorrigibilis perseveret, excommunicari debet; scilicet non solemniter. 3. Crescente contumaciâ, anathematizari debet, sive solemniter excommunicari: ac denique, si non resipuerit, quin potius in profundum malorum devenierit, tradendus est potestati seculari. *Hofstiens. hic V. Potestatem. Imol. n. 3.* Si verò pœna incipiat à contumaciâ, hoc est, si Clericus delinquens ab initio sit contumax, tum in primis suspendi debet, postea excommunicari, deinceps deponi, & tandem tradi Curie seculari. *Gl. hic V. Postmodum in fine. Hofstiens. ibid. V. Potestatem.*

CX. Porro explicato *cit. c. Ab homine*. Quæritur primò. An prædictus modus procedendi contra Clericos facinorosos, præscriptus in eodem *c.* semper observari debeat, ita, ut nunquam possit ob delictum Clericus statim tradi Curie, seu potestati seculari, sed prius deponi, excommunicari, & anathematizari, ac tandem, si incorrigibilis perseveret, potestati seculari sit tradendus? Duplex est sententia. Prima distinguit inter crimen, an sit valde enorme, necne: si enim crimen à Clerico commissum non sit valde enorme, tamen tale sit, ob quod secundum leges, aut statutum loci, laicus ultimo supplicio afficeretur, v. g. furtum, vel homicidium voluntarium simplex, Clericus tamen, si incorrigibilis non sit, potestati seculari tradi non debet, sed deponendus est, & in Monasterium ad tempus detrudendus, ad agendam pœnitentiam; ut habetur in *cit. c. Cum non ab homine. h. 1. junct. c. Tue. 6. de panis.* & docet Farinacius in praxi crimin. lib. 1. tit. 1. q. 8. n. 80. *Laym. de Iurisf. ordin. concl. 75.* Quamvis hæc pœna utpote Monasterijs gravis hodie ferè in usu esse desierit; ut testatur *Diaz. in præf. Canon. c. 39. n. 1. & Jul. Clar. in præf. crim. §. fin. q. 70. n. 6.* Sed Clerici criminosi solent, vel ad tritimes damnari, vel operi servili ad tempus addici, vel ad pœnitentiam agendam in carcerem detruendi; ut ex dicendis patebit. Quòd si post impositas huiusmodi pœnas detrusio in Monasterium, vel in carcerem, vel etiam relegationis in exilium, juxta *c. 1. de calumniat.* Clericus criminofus non emendetur, quia ex Monasterio fugit, vel carceres effringit, vel delictum iterat; tum excommunicari, & anathemate ferri potest; quæ est maxima, & ultima pœna Ecclesiastica medicinalis, quæ ad corrigendum infligitur. Denique si reum potestatem Ecclesiasticam, eiusque pœnas Canonicas contemnere appareat, & spectatis circumstantiis, omnino incorrigibilis censeatur; tunc, quia Ecclesia non habet amplius, quod faciat ad emendationem, nec modum ulteriorem coercendi hominem, eundem realiter degradatum Magistratui seculari tradere debet, juxta *cit. c. Cum non ab homine. Laym. c. l.*

CXI. Verùm, si crimen à Clerico commissum sit valde enorme, seu atrox, v. g. homicidium, non simplex, sed qualificatum, veluti parricidium; vel, si plura homicidia etiam simplicia, aut latrocinia à Clerico iterentur, & sæpius frequententur; tunc

reus ab Ecclesiastico Magistratu statim, & immediate Iudici seculari tradi potest, etiam non expectatâ incorrigibilitate eiusdem; ut docet *Abb. in cit. c. Cum non ab homine. n. 6. h. 1. & in c. At si Clerici. 4. n. 39. eod. & Glossator Decii in cit. c. Cum non ab homine. V. Panarum.* Quare non solum, si Clericus facinorosus incorrigibilis sit, sed etiam, si crimen tam enorme, & atrox sit, ut pœna Ecclesiastica, quæ potissimum ad emendationem Rei infligitur, non videantur sufficere, sed publicâ vindictâ opus sit, ad exemplum aliorum; aut quia innocentibus, vel bono publico periculum imminet, nisi Clericus facinorosus è medio tollatur, statim tradi potest seculari potestati; quæ est magis communis sententia DD. ut refert *Farinac. c. l. n. 81. Clar. cit. q. 36. n. 40.* Qui etiam testantur, id in praxi servari, usque receptum esse, ut scilicet in gravissimis, & atrocissimis delictis Clericus seculari Iudici tradatur, etiam si incorrigibilis eius non accesserit. Addunt tamen, Iudicis prudentis arbitrio relinquendum esse, ut ipse inspectis circumstantiis loci, temporis, & qualitatibus personarum, & delicti, consideret, ac determinet, an crimen commissum v. g. homicidium proditorie factum, vel furtum sacrilegum, vel aliud simile, aded Reipubl. perniciosum esse videatur, ut reus statim, propter grave scandalum, etiam si non fuerit incorrigibilis, actu degradatus tradendus sit potestati seculari, necne? & tutius esse, ut non nisi prius consulto S. Pontifice hoc casu Clericus realiter degradatus tradatur Magistratui seculari. *Farinac. c. l. n. 81. in fine. Idem tenet Covarr. l. 2. resol. c. 20. n. 7.* Ubi ait, Clericum, ob commissum crimen læsæ majestatis, non esse post degradationem tradendum Iudici seculari, nisi natura rei, seu delicti, & circumstantiæ criminis illud suadeant.

CXII. Ratio autem hujus primæ sententiæ præcipua est, quia regulariter, quando per leges civiles propter crimen aliquod imponitur pœna mortis naturalis, secundum Canones imponitur pœna realis degradationis, & traditionis Iudici seculari, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat; non enim unquam imponit pœnam mortis corporalis. Confirmatur, quia pœnae debent adæquari, seu commensurari delictis, ita, ut graviora crimina gravius vindicentur, & propter iterationem delicti pœna augeatur; at, si propter homicidium, vel furtum qualificatum, vel iteratum, citra incorrigibilitatem delinquentis, imponatur eadem pœna depositionis, & detrusio in Monasterium, vel carcerem, quæ punitur homicidium, vel furtum simplex, & unicum commissum à Clerico; tum non punitur gravius delictum majus, & enormius, quàm minus, & levius; nec servatur æqualitas, & commensuratio inter crimen, & pœnam illius, sicut justitia exigit: ergo dicendum est, quòd propter crimen qualificatum, vel iteratum, & frequentatum, major pœna secundum Canones imponi debeat, videlicet, ut reus actualiter degradetur, & tradatur potestati seculari, etiam si incorrigibilis non accesserit. *Abb. in cit. c. At si Clerici. 4. n. 39. h. 1.*

Sed in primis hoc fundamentum, quòd in omnibus delictis, propter quæ, secundum leges civiles, imponitur pœna mortis corporalis, secundum Canones imponenda sit pœna actualis degradationis, & traditionis Iudici seculari, est falsum, quia in multis casibus, in quibus propter enormia flagitia lex civilis infligit

igitur pœna ultimi supplicij, Jus Canonicum non imponit pœnam degradationis, & traditionis potestati seculari: ut patet ex c. *Tua. 6. de pœn. & adulterium de Jure civili puniuntur pœna mortis, l. 2. C. de adulter.* Non autem Clericus, propter adulterium, de Jure Canonico, degradatur actualiter, sed deponitur, & in Monasterium detraditur, c. *Si quis. 13. dist. 81. Gl. in c. Lator. 44. V. Incorporali caus. 2. q. 7. Clar. l. 5. Sentent. 5. Adulterium. n. 7.* Item propter raptum virginis laico imponitur pœna ultimi supplicij, l. *Unic. C. de raptor. Virg.* non autem de Jure Canonico imponitur Clerico pœna degradationis, & traditionis Iudici seculari, c. *De puellis. 4. caus. 36. q. 2. Fagnan. in cit. c. Cum non ab homine. n. 62. h. t.*

Ad confirmationem responderetur, quando secundum leges civiles imponenda est pœna mortis, Jure Canonico potest imponi Clerico pœna perpetui carceris, quæ æquiparatur pœnæ mortis, saltem, si Clericus detradatur in Monasterium, vel carcerem perpetuum, ad agendam ibi pœnitentiam, & ut sustentetur in pane doloris, & angustia, sine spe liberationis, juxta c. *Novimus. 27. §. Pro illo de verb. signif. & sic Clericus delinquens puniatur gravius, quia minor pœna est, statim mori, quàm diu affligi in carcere, sine spe restitutionis in libertatem. Fagnan. hic n. 60.*

CXIII. Porrò huic primæ sententiæ obstare videtur c. *Ut fame. 35. de sent. excomm.* ubi dicitur, quòd Prælati, non solum possunt, sed etiam debent Clericos graviter delinquentes, si incorrigibiles sunt, sub arcta custodia detinere: & tamen in cit. c. *Cum non ab homine.* dicitur, hujusmodi Clericum incorrigibilem comprimendum esse per potestatem secularem, &que tradendum. Respondet *Laym. in cit. c. Cum non ab homine. n. 7.* quòd mens, & intentio utriusque Pontificis, tam Cælestini III. in cit. c. *Cum non ab homine. h. t.* quàm Innocentij III. in cit. c. *Ut fame.* non fuerit, præscribere generalem modum exterminationis, seu abjectionis Clerici criminosi: sed utrumque respondisse ad quæstionem sibi propositam; & quia unus interrogatus erat de traditione Rei facta potestati seculari, de illa respondit: alter verò de detractione in perpetuum carcerem, quia de eadem quæstio mova fuerat: uter autem modus punitiois adhibendus sit, relinquitur prudenti arbitrio Prælati, seu Iudicis Ecclesiastici, ut spectatis circumstantijs personarum, & delicti, consideret, utrum magis expediat, ut Clericus facinorosus, v. g. ob commissum parricidium, vel furtum sacrilegum, si incorrigibilis sit, tradatur potestati seculari, juxta cit. c. *Cum non ab homine.* præsertim quia grave, & molestum accidere potest Prælato Ecclesiastico, Clericos facinorosos in perpetuis carceribus detinere: an verò magis expediat, ut Clericus v. g. hæreticus, aut veneficus, qui aliquin realiter degradatus seculari Magistratui tradendus esset, ad perpetuum carcerem damnetur, juxta cit. c. *Ut fame. §. c. 1. de hæretic. in 6. ibi. Curia seculari relinquendus, aut perpetuo immurandus.* Quare idem uterque Pontifex suâ responsione intendit, videlicet, quòd Clericus criminosis, non antè, sed tum demum exterminandus, & abjiendus sit, sive per degradationem, & traditionem Curia seculari; sive per detractionem in perpetuum carcerem, si incorrigibilis fuerit, vel quia imminet periculum majoris, & publici mali. Atque hæc de prima sententia.

CXIV. Altera, & contraria sententia tenet, quòd etiam propter valde enorme crimen Clerici, ut homicidium proditorium, vel per insidias, cædenda Sacerdotis, vel aliud simile, propter quod de Jure Civili pœna mortis atrox, ut pœna ignis, vel alia valde gravis imponitur, non possit statim, & immediatè degradari, & tradi Magistratui seculari, nisi fuerit incorrigibilis, & præterquam in casibus Jure expressis, de quibus infr. quam sententiam de Jure veriorum esse censet *Decius in cit. c. At si Clerici. 4. in fine. h. t. Berroius ibid. n. 181. Farinac. cit. l. 1. tit. 1. q. 8. n. 81. Clar. §. Fin. q. 36. n. 40. Diaz. in pract. Canon. c. 143. V. Degradari.* Eamque novissimè sequitur etiam *Fagnan. in cit. c. Cum non ab homine. n. 65. & seqq. h. t.* Idque probatur ex eodem c. ubi in primis dicitur generaliter, quòd non liceat Regi, vel alij seculari Iudici judicare Clericos, sive in furto, sive homicidio, vel perjurio, sive in quibuscunque criminibus fuerint deprehensi, ad eoque etiam in crimine valde enormi.

2. Quòd Clericus in furto, vel homicidio, vel perjurio, vel alio crimine quocunque sit deponendus ab Ecclesiastico Iudice. 3. Si depositus incorrigibilis fuerit (scilicet in quolibet crimine; ut patet ex præcedentibus) degradatus potest tradi potestati seculari: ergo, si incorrigibilis non fuerit, non potest tradi. Præterea hoc c. eodem modo loquitur de furto, & homicidio, sed propter furtum qualificatum, sive sacrilegum rei sacrae, Canones non imponunt pœnam traditionis Magistratui seculari; ut colligitur ex c. *Ubi de furtis.* ergo nec ob homicidium sacrilegum, vel aliàs qualificatum, *Fagnan. hic n. 94.* Secundò. Id etiam probatur ex c. *Tua. 6. de pœn.* ubi quæsitum fuit, qualiter Clerici in latrocinijs, vel alijs magnis sceleribus deprehensi puniri debeant? Respondet Papa, quòd à suis Ordinibus degradati, detrudendi sunt in arcta Monasteria, ad pœnitentiam agendam: ubi sermo est de latrocinijs, & furtis non simplicibus, sed qualificatis: latrocinium enim est gravius delictum, quàm furtum: & de verbali depositione, seu degradatione, non de actuali, per quam reus privatur omni privilegio Clericali, & statim subjicitur Magistratui seculari: & de pluribus magnis sceleribus, ac proinde etiam propter furtum qualificatum, vel iteratum, Ecclesia non imponit pœnam actualis degradationis, & traditionis Curia seculari, nisi crescente contumaciâ, reus penitus incorrigibilis fiat. *Fagnan. in cit. c. Cum non ab homine. n. 100. & duobus seqq.* Tertiò. Idem apertius probatur ex c. *Ut fame. 35. de sentent. excomm.* ubi dicitur, quòd Clerici graviter delinquentes, si se prioribus sceleribus scelestius immisceant, possunt, ac debeant à Prælati suis Ecclesiasticis sub arcta custodia detineri, ne ad similia, vel peiora scelera labantur. ergo etiam propter gravia, seu magna, & iterata scelera Clericus non debet statim, & immediatè actu degradari, & tradi Magistratui seculari, si non accedat omnimoda incorrigibilitas. *Fagnan. c. l. n. 103.* ubi ait, non esse tutum ab hac sententia recedere in judicando, vel consulendo.

CXV. Porrò plures sunt casus, in quibus SS. Pontifices per Constitutiones suas, vel Corpori Iuris insertas, vel aliàs Extravagantes decreverunt, Clericos esse realiter degradandos, & tradendos Magistratui seculari, etiam si incorrigibiles non fuerint. Veluti Primò, in crimine hæresis, c. *Excommunicavimus 13.*

§. *Damnati, & c. Ad abolendam. 9. §. 1. de heret.* Secundò, in crimine falsationis litterarum Apostolicarum, *c. Ad falsarium. 7. de crim. falsi.* Tertiò, in crimine conspirationis, vel insidiarum structarum proprio Episcopo. *c. Si quis. 18. caus. 11. q. 1.* Et hi tres casus sunt expressi in Iure communi Canonico: in aliis verò criminibus, quamvis atrocissimis, Clericus debet solum deponi, non autem actualiter degradari, nec tradi potestati seculari, si paratus sit se corrigere; sed detrudi debet in perpetuum carcerem, ut tradit *Clarus cit. q. 36. n. 36.* & est communis Canonistarum sententia; ut refert *Fagnan. in cit. c. Cum non ab homine. n. 71. h. t.* addit tamen *Clar. c. l. in praxi observari contrarium.* Quartò, propter crimen Alfassinij Clericus statim, absque depositione, vel sententia tradendus est Curia seculari, non expectata eius incorrigibilitate; ut colligitur *ex c. 1. de homic. in 6. & ex communi tradit Clar. cit. q. 36. n. 32.* quamvis requiratur declaratio Iudicis Ecclesiastici, per quam pronuncietur, Clericum hoc crimen commississe. *Fagnan. c. l. n. 74.* Quintò, propter crimen nefandum contra naturam, Clerici etiam per Iudicem Ecclesiasticum degradati tradi debent Curia seculari, *ex Constit. Pij V. quæ incipit. Horrendum.* ut refert *Fagnan. c. l. n. 76.* Sextò, qui non sunt ordinati in Presbyteros, si Missas de facto celebrasse, vel Sacramentalem Confessionem audivisse sint deprehensi, statim etiam Curia seculari sunt tradendi, *ex Constit. Clementis VIII. quæ incipit. Esti aliàs.* Septimò, denique etiam, qui monetas falsificant, vel adulterant, *ex Constit. Urbani VIII. quæ incipit. In supræma.* edita anno 1627. Idib. Novemb. quæ tamen restricta est ad eos solum, qui existunt in Italia. *Fagnan. c. l. n. 78.*

Cùm igitur certi tantum casus Jure Canonico sunt expressi, in quibus Clerici subjiciuntur seculari potestati, ut ab ipsa judicari, ac puniri possint, consequenter in aliis casibus non expressis non possunt: nam Clerici Divino Jure sunt exempti à jurisdictione, & potestate seculari. *c. Si Imperator. 11. & ibi Gl. V. Et deserti. dist. 96.* seu Divinâ ordinatione, ut loquitur *Concil. Trident. sess. 25. de reform. c. 20.* idè solum Papa declarare potest, tanquam Vicarius Dei, in quibus casibus Clerici per Ecclesiam sint degradandi, & tradendi potestati seculari, ut per eam comprimantur. *Fagnan. in cit. c. Cum non ab homine, n. 66. & 67.* Neque verò etiam propter identitatem rationis constitutio, quæ non solum pœnalis est, sed etiam exorbitans à Jure communi, præsertim, si præjudicet exemptioni Clericorum à jurisdictione seculari, extendi debet ad alios casus similes non expressos, seu exceptos: neque etiam dici potest, quòd hi in illa comprehendantur. *Fagnan. c. l. n. 80. & duobus seqq.* Et hinc plura sunt crimina, propter quæ Jure Civili atrox pœna infligitur, & tamen secundum Canones, propter illa Clerici non degradantur, nec Curia seculari traduntur; prout videre est apud *Fagnan. c. l. n. 83. & seqq.*

Porro, textus, quos *Abb. c. l.* pro sua sententia adducit, quomodo intelligendi sunt, fusè explicat *Fagnan. c. l. n. 40. & pluribus seqq.* Qui n. ult. addit. S. Congreg. Concilij ab Urbano VIII. specialiter ad hoc deputatam anno 1650. 16. Novemb. consuisse, quòd Sacerdos Regularis Apostata, qui 10. qualifi-

cata furta commisit, non sit propterea degradandus, & tradendus Curia seculari, sed tantum detrudendus in perpetuum carcerem, vel ad triemes in perpetuum condemnandus; quam sententiam ipse Papa approbavit. Et sic confirmata est secunda, & posterior sententia, quamvis contraria in pluribus locis usu sit recepta, ut suprâ dictum.

CXVI. Quæritur secundò. An modus procedendi præscriptus in *cit. c. Cum non ab homine. h. t.* Contra Clericos facinorosos, videlicet, ut non possint degradari, & tradi seculari potestati, nisi incorrigibiles fuerint, aut valde enorme crimine commiserint, secundum priorem sententiam, sit observandus, non tantum in Clericis secularibus, sed etiam in Regularibus, seu in omnibus Religiosis criminosis? Resp. Affirmativè cum *Decio in cit. c. Cum non ab homine. n. 3. & Laym. ibid. n. 8.* Quia in materia favorabili (qualis est hæc, ut Clerici criminosi non possint statim, & immediate degradari, & tradi seculari potestati) nomine Clericorum etiam veniunt Religiosi; ut docet *Sylvest. & alij Summistæ. V. Clericus.* Deinde, cùm ratio constitutionis, quæ facta est, ob favorem personarum, seu Clericorum, & exemptionem eorum à foro, & Jurisdictione seculari, etiam locum habeat in omnibus personis Ecclesiasticis, consequenter etiam ipsa constitutio ad easdem extendetur, seu potius illas quoque comprehendit.

### §. V.

#### De aliis quibusdam observandis à Iudice, vel partibus litigantibus in Iudicio.

CXVII. Quæritur primò. Quando fieri possit à Iudice citatio per Edictum, per quam, etsi primam, firmatur Iudicium, & perpetuatur etiam, ac prævenitur Jurisdicchio? Resp. Hæc citatio tum deum fieri potest, si quis alio modo citari nequeat, ut si citandus per se, vel per alios efficiat, ne citatio possit ad se pervenire, vel si ad locum, ubi quis citari debuerat, non sit tutus accessus, prout sumitur *ex Clement. Dudum. 1. h. t.* Nam in Constitutione Bonifacii VIII. (quæ emanavit post compilationem Sexti, & incipit: Rem non novam. & inserta est *Extravag. 2. De dolo, & contum. inter communes*) statuitur, ut citationes auctoritate Apostolicâ quarumcunque personarum (cuiuscunque status, & dignitatis fuerint. *Gl. hic V. Quibuscunque*) & undique etiam extra dies solemnes, in quibus Pontifices Romani processus generales facere consueverunt (ut contra hæreticos, & alios in die Jovis hebdomadæ sanctæ, & die Ascensionis Christi, & alijs quibusdam diebus, de quibus *Gl. hic V. Solemnes. & V. Generales*) publicè factæ in audientia litterarum Apostolicarum, vel in Palatio Papali, ex speciali mandato Patris, & ex certa ejus scientia: & postea in januis majoris Ecclesiæ (seu Matricis, etsi non Cathedra- lis) loci, in quo Papa cum Curia sua degit, affixæ fuerint, ut inquam, huiusmodi citationes perinde ardeant citatos, post elapsum terminum competentem ipsis appositum, ac si ad eas personaliter devenis-

venissent. Quia verò hæc Constitutio nimis rigorosa videbatur, ideo illam Clemens V. in Concilio Vien. temperavit, & restrinxit ad illos tantum, qui per se, vel per alios, quoquo modo impediunt, vel procurant, ne ad eos citatio pervenire possit, vel quorum domicilia non possunt tutè, ac liberè adiri. Ratio huius Constitutionis est, quia nimis grave erat, cum haberi pro vero contumace, qui citatus non comparuit, cum tamen talis citatio non facile poterat venire ad eius notitiam. *Gl. hic. V. Restrinximus.*

Additur in fine, quòd per hanc constitutionem circa citationes absentium, quas Ecclesia Romana diebus solemniibus, & aliis, interdum ex diversis causis facere solet, nihil derogetur.

CXVIII. Hinc colligitur, quòd solus Papa per edictum, secundùm formam hinc traditam, citare possit ex speciali mandato, & certa scientia. *Gl. marg. hic. V. Quibusunque.* & quidem etiam ultra duas dioceses, & extra provinciam, sive ex locis, quantumvis remotis, quia est Vicarius illius, cuius est orbis terrarum, & plenitudo eius. *Gl. hic. V. Undecunque.* Iudex verò inferior Papà regulariter per edictum citare non potest: sed de Jure communi citatio fieri debet personaliter, vel ad domum citandi. *Gl. hic. V. Papa. & Abb. n. 7. & 10.*

Colligitur secundò, quòd etiam ij, qui impediunt, ne personaliter citari possint, vel quorum domicilium adiri non potest, non possint per edictum citari, nisi ex speciali mandato, & certa scientia Papæ id fiat, & ipse Papa judicet talem impedire, ne citatio ad ipsum perveniat, vel eius domicilium tutè adiri non possit. *Gl. hic. V. Non possunt.* contrarium tamen tenet *Abb. hic. n. 15.* quòd Iudex etiam inferior citare possit per edictum impediendum, ne citatio ad ipsum pervenire possit, adeòque quòd hæc Constitutio sic restricta nihil novi decernat. Addit *Abb. hic. num. ult.* quòd hæc Constitutio loquatur de citatione in Curia Romana facta ex mandato Papæ per edictum, ita, ut in casibus hic expressis citari possit reus ex loco, quantumvis remoto, & talis citatio vim habeat personalis citationis: alij verò Iudices, sine licentia Papæ, non possint citare per edictum ex locis remotis. Sed de his infra suo loco.

CXIX. Queritur secundò. An in libello nomen actionis exprimi debeat? Resp. negativè, saltem de Jure Canonico; ut constat ex c. *Dilecti. 6. h. t.* Nam cum Prior quidam, & Clerici contra Eboracensem Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum gravem querelam detulissent ad Papam: is mandavit Iudicibus à se delegatis, ut provideant, ne subditi inquirant, cujusmodi actio intentetur, sed simpliciter, ac purè ipsum factum, & rei veritatem, secundùm Canones, investigent.

Notandum primò. Non est necessè, præsertim de Jure Canonico, nomen actionis in oblato libello exprimere, nec Iudex requirere debet ab actore, quam actionem intendet, quia hujusmodi nimiam libertatem respuunt Canones: sed satis est, si factum, & rei veritas ita proponatur, & narretur, ut appareat jus actoris, seu causa petendi. *Abb. hic. n. 15. & Decius n. 11.* ubi addunt, id procedere etiam de Jure civili, in quo nullibi reperitur statutum, quòd agens tenetur specificè exprimere actionem, aut nomen actionis sed solùm, ut in libello ita narretur factum,

ut ex eo colligatur qualitas actionis, sive quid petatur, & quâ institutâ actione; etiamsi hæc nominatim non exprimatur: & sic intelligi debent leges, quæ dicere videntur, actionem exprimendam esse.

Notandum secundò. Quia verò interdum contingit, ut ex eodem facto, vel contractu plures obligationes, & actiones oriantur, & competant, tunc præter narrationem facti, exprimi debet nomen actionis, ut appareat, quæ actio sit intentanda, nisi ex conjecturis colligatur, quòd hæc potius, quàm alia actio sit proposita. *Decius hic. n. 12. limit. 2.* V. g. Si quis per injuriam sit vulneratus, tum exprimere debet, an actione injuriarum criminaliter agere velit, ad vindictam, seu pœnam publicam iudicis arbitrio reo infligendam: an verò civiliter persequendo proptium interesse, idque rursus, vel agendo ad pœnam sibi applicandam, vel ad damni injustè illati compensationem, ut quia ex vulnere inutilis factus est, vel ad restituendam mercedem solutam chirurgis, de quo dictum supra n. 9. & 10. Sed de hoc plura infra. *tit. 3.* Ratio autem cur, quando ex eodem actu plures dantur actiones, actor exprimere debeat, quâ uti velit, est; ut reus scire possit, utrùm litigare, an cedere velit, *l. 1. in princ. ff. de edendo.*

CXX. Queritur tertio. An Iudex habens consimilem causam cum causa sibi commissa, recusari possit, & removeri à judicando tanquam suspectus? Resp. affirmativè, prout constat ex c. *Causam, quæ. 18. h. t.* Nam cum inter Abbatem, & Conventum Vindonensem, & Archidiaconum Carnotensem controversia esset super jure recipiendi procurationes: eam Papa Archidiacono Parisiensi, & aliis quibusdam commisit. Quia verò idem Archidiaconus Parisiensis similem pene causam, seu controversiam habebat, isque parti alteri (videlicet Archidiacono Carnotensi) nimis favere videretur: ideo Papa loco Archidiaconi Parisiensis, Decanum quendam subrogavit, mandans, ut is, non obstantibus prioribus litteris, in causa, unâ cum aliis delegatis, procedat.

CXXI. Notandum primò. Iudex aliàs competens potest, si uni parti litigantium nimis favere videatur, tanquam suspectus recusari ab altera parte, si is, ut privatus, seu ut pars litigans habeat causam pene similem ei, de qua ipse tanquam Iudex delegatus, vel etiam Ordinarius cognoscere debuerat. Ut in casu huius c. Archidiaconus Ecclesiæ Carnotensis petebat procuraciones ab Abbate, & Conventu Vindonensi, quia prætendebat Monasterium hoc, quippe situm in suo Archidiaconatu, sibi quoad visitationem subjectum esse: quas procuraciones similiter petebat Archidiaconus Parisiensis à quibusdam Monasteriis sui Archidiaconatus; ut notat *Hostiens. hic. V. Parisiensi.* & ideo meritò suspectus erat Monasterio Vindonensi, ne, si tanquam Iudex delegatus hanc controversiam inter Monasterium, & Archidiaconum Carnotensem cognosceret, huic potius faveret, tanquam similem causam habens. Ratio est, quia præsumitur, quòd Iudex ita judicaturus sit in causa sibi commissa, prout cupit judicari in sua causa, quæ est similis illi, & quòd, ut pars litigans, putat æquum in sua causa, censerebatur etiam æquum, ut Iudex in aliena, sed simili causa; alioquin sibi contradiceret, nec eodem jure uteretur erga alios, quo jure desiderat alios uti

uti erga se, cum tamen non possit recta conscientia esse  
divisa in eodem facto. *Arg. c. pen. de elect. sive judica-*  
*re, aliquid esse æquum, & iniquum in eodem, vel si-*  
*mili facto. Abb. hic n. 2.* Porro non omnis simili-  
tudo causæ sufficit ad repellendum Iudicem tanquam  
suspectum, non enim sufficit, ut causa sit similis alteri  
in genere, quia utraque spiritualis est, sed debet esse  
similis in specie: & hinc, si quis, ut pars, habeat litem,  
seu controversiam cum aliquo super causa decima-  
rum, non poterit repelli tanquam Iudex suspectus, si  
ei committatur causa Juris patronatus, vel alia similis  
causa spiritualis, quia sunt similes tantum in genere.  
*Gl. hic V. Similis pene causa, & Abb. n. 2.*

Notandum secundò. Licet Iudex ordinarius,  
qui causam alteri delegavit, absolute loquendo, sem-  
per possit eundem revocare, *l. Judicium. § 8. ff. h. r.*  
non tamen decet, ut illum sine causa revocet, quia  
videret illi quodammodo injuria aliqua fieri, si sine  
causa revocetur; ideòque Papa hic assignavit causam  
revocationis, sive remotionis. *arg. l. Litigatores. 11.*  
*in princ. ff. de recept. arbit. ubi habetur, quod com-*  
*promittentes in arbitrum, si ab eo recesserunt, non*  
*possint eum postea cogere ad pronunciandum inter*  
*illos, quia contumeliam ei fecerunt, eum spernen-*  
*do, & alium adeundo. Abb. hic n. 2.*

Notandum tertio. Causa, quæ est sufficiens ad  
subrogandum alium Iudicem, sufficit etiam ad eun-  
dem recusandù, quia ex facili causa Iudex recusatur,  
præsertim si magis faveat alteri parti; ut ex communi  
docet hic *Abb. in fine.* Quamvis hæc sit differentia in-  
ter recusationem, & subrogationem, quòd hæc peten-  
da sit à Superiore, recusatio verò proponi debet co-  
ram Iudice ejus, qui recusatur; ut addit *Abb. ibid. Ve-*  
*rùm de recusatione Iudicis plura infra tit. seq.*

CXXXII. Queritur quartò. An à Iudicibus, qui  
de causa principali, & exceptionibus præjudicialibus  
simul cognoscunt, vel super ipsa causa principali, lite  
nondum contestatâ, testes recipiunt, licitè appelletur?  
*Resp. Affirmative, ut constat ex c. Exhibita.*  
» *19. h. r.* Nam cum Rabanus electus esset in Episco-  
» pum Viridunensem, Archidiaconus, & quidam alij  
» Canonici Viridunenses se opposuerunt huic ele-  
» ctioni, & impetrârunt litteras à Papa contra ele-  
» ctum ad Episcopum Parisiensem, & Coniudices  
» suos, sub hac forma, ut vocatis vocandis, super  
» propositis, & aliis, quæ negotium hoc contingunt,  
» seu concernunt (ut de meritis electi, zelo eligenti-  
» um, & an aliqua simonia intercesserit, *Gl. hic V.*  
» *Contingentibus.*) inquirerent veritatem. Cum au-  
» tem partibus coram Iudicibus constitutis, idem e-  
» lectus quibusdam ex adversarijs, qui contra ipsum  
» agebant, per modum exceptionis, objiceret conspi-  
» rationem adversus se, alijs excommunicationem,  
» offerens se ad probandum has exceptiones: Iudices  
» delegati interlocuti sunt, quòd de his objectis,  
» & de ipso principali negotio simul inquirere ve-  
» lint, ideòque quasi non Iudices, sed inquisitores  
» constituti essent, noluerunt probationes super di-  
» ctis exceptionibus electi admittere, sed pervertendo  
» Iuris Ordinem, simul cæperunt inquirere de  
» exceptionibus, & causâ principali, & testes etiam  
» super eadem receperunt, lite nondum contestatâ.  
» Quare electus ad Papam Honorium III. appellavit.  
» His auditis, Papa mandat alijs quibusdam Iudici-

bus à se delegatis, ut, quia causa illa, non per modum  
inquisitionis, sed commissionis, seu Judicialis in-  
daginis, ac processus prioribus Iudicibus fuit dele-  
gata: ideo, si constiterit ob dicta gravamina, vel  
unum eorum, appellatum fuisse, quidquid post ap-  
pellationem attentatum fuit; in irritum revocent,  
& postea in ipsa causa, juxta priorum litterarum  
tenorem, & secundum justitiam procedant.

CXXXIII. Pro explicatione hujus c. Notan-  
dum primò. Dupliciter potest fieri inquisitio de ali-  
cujus crimine, v. g. an electus ob crimen repelli de-  
beat, vel ex officio Iudicis, præcedente publicâ famâ  
criminis; vel aliquo impetrante, & prosequente in-  
quisitionem, qui est loco accusatoris; ut tradit *Du-*  
*rand. in specul. l. 3. part. 1. tit. de inquisit. §. In inquisitio-*  
*ne qualiter sit procedendum.* Priore casu, si fiat inquisi-  
tione ex mero officio Iudicis, nullo eam petente, tum  
non est servandus ordo Iuris, *Durand. c. l. n. 13.* Sed  
potest Iudex statim procedere ad receptionem testiù,  
super infamia, cujus inquisitio debet præcedere in-  
quisitionem, seu cognitionem super veritate crimi-  
nis, si citatus neget se infamatum: vel etiam potest  
cognoscere super ipso crimine, si de infamia constet.  
Posteriore verò casu, si aliquis impetret, aut prosequi  
velit inquisitionem, tum debet libellum offerre, & litem  
contestari, & ordo Iuris servandus est, *Durand. c. l. n. 6.*

Quare Iudices in casu hujus c. in pluribus errâ-  
runt. Primò, quia putârunt, se esse constitutos Inqui-  
sitores, eò quòd iusti sunt inquirere veritatem, adeò-  
que ex mero officio sibi procedendum esse de electo,  
& absque Judiciali ordine, cum tamen commissio  
eis facta sit in forma Iudicij; prout colligitur tum ex  
eo, quòd hic dicitur, *Vocatis, qui forent vocandi. Gl. hic*  
*V. Inquirentes, junctâ à Gl. marg. tit. 6.* Nam per talem  
clausulam facta est commissio inter partes litigantes,  
ita, ut Iudex sic datus debeat observare formam judi-  
ciali: quin imò etiam executor, cum tali clausula,  
datus censeri debet, non merus, sed mixtus executor,  
ideòque debet procedere cum causâ cognitione, &  
assumere partes Iudicis, *Abb. hic n. 2. § 6.* Tum quia  
in forma rescripti Apostolici non erat posita clausu-  
la, quæ alijs apponi solet in forma procedendi per  
modum inquisitionis, videlicet, *cum ad nos per clamo-*  
*sam insinuationem pervenerit &c.* Tum quia non pote-  
rant hi Commissarij procedere ad testium receptio-  
nem, lite non contestatâ, quia electus non erat con-  
tumax, quod requiritur, *Gl. hic V. Lite nondum conte-*  
*statâ.* Tum denique quia in dubio, si non evidenter  
appareat, an Superior voluerit constituere Inquisito-  
rem, an verò Iudicem, præsumendum est, quòd fue-  
rit deputatus, non ut procedat per modum inquisitio-  
nis, sed per modum Judicialis commissionis, *Abb. c. l.*  
Atque hæc procedunt saltem de Iure antiquo: nam  
hodie, si quis se opponat contra electionem, proce-  
dendum est de plano, & sine figura Iudicij, juxta *Clem.*  
*2. h. r. & Clem. 2. de V. S.*

Notandum secundò. Qui conspirârunt in ali-  
quem, ut in casu hujus c. contra electum in Prælatù,  
si de eo constet, repellendi sunt ab agendo, vel accu-  
sando, tanquam inimici, & suspecti, *Gl. hic V. Conspi-*  
*rationem.* Similiter ob excommunicationem repelli  
quis potest ab agendo; ut in casu hujus c. qui agebant  
contra electum *Gl. hic V. Excommunicationem.* de quo  
plura *Abb. hic n. 7.*

Notan-

Notandum tertio, Judex non potest simul cog-  
noscere de exceptionibus præjudicialibus, & causa  
principali, alioquin censetur pervertere Juris ordi-  
nem; ut constat ex hoc c. nam tales exceptiones præ-  
judiciales à parte propositæ prius cognosci debent à  
Judice, quia, ijs probatis, principalis causa, seu qua-  
estio est precepta, c. Tuam. 3. & ibi Gl. V. *Dependentem*  
*de ord. cognit.* Alioquin processus est irritus, vel sal-  
tem iustam causam appellandi tribuit, *Imol. hic. n. 7.*  
Sed neque Judex super causa principali testes recipere  
debet, lite nondum contestatâ, saltem Jure antiquo;  
alioquin licet ab eo appellatur; ut constat etiam ex  
hoc c. *Imol. hic. n. 9.* Nam litis contestatio est funda-  
mentum Judicij, & ante illam incertum est, an lis sit  
futura. c. *Ult. Ut lite non contest.* de quo plura ibid.

Notandum quartò. Etiam à sententia ipso Jure  
irrita appellari potest, si pars litigans per eam saltem  
de facto gravetur, ut tradit *Imola hic. n. 10.* quia à quo-  
libet injusto gravamine appellari potest; ut in pro-  
prio calu electus appellare potuit à sententia interlo-  
cutoria Judicum delegatorum ad ejus executionem,  
aut prosecutionem impediendam, per quam plura  
gravamina ipsi sunt illata; tum quia processerunt per  
modum mere inquisitionis, cum debuissent per mo-  
dum judicialis delegationis: tum quia prius exceptio-  
nes objectas discutere debebant, quam procederent  
ad causam principalem, nec recipere testes, ante lit-  
em contestatam. Quare omnia acta post appellatio-  
nem irrita fuerunt declarata, & sufficit, si appellans,  
vel unum ex prædictis gravaminibus probaverit, *Gl.*  
*hic. & sufficit etiam alterutrum probare; scilicet*  
*sententiam fuisse nullam, vel ab ipsa tanquam injusta*  
*appellatum fuisse, de quo Bart. in l. Si expressim. 19.*  
*ff. de appellat.*

§. VI.

Quomodo finiatur Judicium?

Judicium, sive instantia Judicij, duobus modis  
augetur: per lapsum temporis, & per absolutionem ab  
observatione Judicij; ut ex communi docet *Marant.*  
*de ordin. Judic. p. 5. n. 49.* de quibus hic agemus.

CXXIV. Assertio 1. Spectato Jure Civili, la-  
psum temporis perit instantia, si in causa criminali intra  
biennium, in causa verò civili intra triennium à litis  
contestatione numerandum, lis, seu Judicium ad fi-  
nem non perducatur; ut statutum habetur in l. *Pro-*  
*perandum. 13. in princ. C. h. t.* Idque ne lites pene im-  
mortales fiant, & vitæ hominum modum, seu termi-  
num excedant; utait ibid. Imper. Justinianus, *Ma-*  
*rant. c. l. n. 5.* apud quem plura de hoc legi possunt.

CXXV. Assertio 2. Secundum Jus Canoni-  
cum, instantia Judicij per lapsum temporis bienna-  
lis, vel triennalis non expirat, sive in causis crimina-  
libus, sive civilibus; ut docet *Gl. Communiter recepta in*  
*de venerabilis. 20. c. pen. h. t. Not. unic. & ibid. Abb. n. 5. &*  
*7. Gl. in c. l. Properandum. V. Triennij in fine. C. Eod.* Et ita  
communiter explicant, & intelligunt plerique Cano-  
nista c. *pen.* ubi habetur, quòd ortâ controver-  
sâ inter Archiepiscopum Ravennatensem, & com-  
munitatem quandam, super Jurisdictione civitatis,  
& quibusdam alijs articulis, ea commissa fuit à Pa-  
pa alicui Canonico Bononiensi; coram quo lis illa

agitata, & à communitate per subterfugia, & cavil-  
lationes usque ad triennium protracta fuit; sed po-  
stea coram eodem delegato dicta communitas re-  
spondere recusabat, eò quòd per triennij lapsum  
instantia Judicij precepta fuerit. Re hac in-  
llectâ, Papa Honorius III. mandat suo delegato,  
ut non obstante hac exceptione, in negotio, seu  
causa, juxta formam commissionis ipi traditam  
procedat. Ratio est, quia, licet secundum legem  
civilem, instantia Judicij perierit, elapso triennio,  
non tamen perijt Jurisdictio Judicis, quippe qua est  
perpetua; nec rescriptum commissionis, cum rescri-  
pta justitia, seu ad lites etiam perpetua sint. l. 2. *C. de*  
*divers. rescript.* ideòque Communitas coram Judice  
delegato adhuc respondere tenebatur. *Gl. hic V. Non*  
*obstante.* Quare constitutio illa civilis in *c. l. Pro-*  
*perandum;* quæ modum, ac terminum Judicij præ-  
scribit, in foro Ecclesiastico nunquam fuit recepta, &  
approbata, sed ad forum civile tantum pertinet: idq;  
apertè colligitur ex *c. pen. h. t.* nam Communitas  
asserbat, instantiam Judicij perijisse, ideòque recusa-  
bat respondere coram Judice delegato. Sed Papa ei  
mandavit, ut hæc exceptione non obstante, in ipso  
negotio procedat, & consequenter exceptionem istam  
omnino rejicit. *Abb. hic. n. 6.* Neque verò expedi-  
diebat, dictam legem civilem recipi à Jure Canonico:  
nam post finitam Judicij instantiam, processus de no-  
vo institui potest, ac si nihil actum fuisset, & actor de-  
nuo causam inchoare, *c. l. Properandum. §. Et si qui-*  
*dem. junct. Gl. V. Judicij. & §. ult. & ibi Gl. V. Vigorem,*  
saltem in causa civili: nam in causa criminali, post  
elapsum biennium, non auditur ulterius accusator, si  
velit iterare suam accusationem. *Mysing. cent. 3. ob-*  
*serv. 50.*

Hinc verò sequitur, quòd lites hoc pacto non  
minuuntur, ac finiuntur, sed magis perpetuantur, &  
immortales fiunt, cum illud non sit plene extinctum,  
& perfecte preceptum, quòd iterum instaurari, &  
iterari potest; ut notavit *Felin. in c. pen. num. 1. h. t.*

Accedit, quòd quoad hoc sit discrimen inter Jus  
Canonicum, & Civile, nam hoc Jure potest appellari  
à sententia definitiva tantum, l. *pen. C. quor. appell.*  
*non recip.* secundum Canones verò appellari potest  
etiam ab interlocutoria sententia, ante latam definiti-  
vam, & à quolibet gravamine, c. *Super eo. 12. de appell.*  
unde fit, ut Judex Ecclesiasticus, propter hujusmodi  
frequentes appellationes à sententiis interlocutoriis,  
sæpe non possit intra triennium decidere, & termina-  
re causam principalem, sicut potest Judex fori civilis,  
cujus Jurisdictio non impeditur per talem appellatio-  
nem. *Abb. in c. pen. n. 7. h. t.* Porro, quòd di-  
ctum est, secundum Jus Canonicum, per lapsum bien-  
nij, vel triennij non expirare instantiam Judicij, id li-  
mitandum est, ut non procedat in causa appellationis,  
cui prosequendæ, & finiendæ annus est deputatus, &  
ex causa biennium, c. *Cum sit. 5. de appell. Felin. in c. c.*  
*pen. n. 1. h. t.*

CXXVI. Ubi præterea Notandum primò.  
Quamvis in *c. pen. h. t.* solum mentio fiat de Judice  
delegato, quia in casu illius c. causa coram Judice de-  
legato agitata fuit, nec finita intra triennium, non ta-  
men in eo fit vis, aut fundatur textus decisio; ideòque  
ea extenditur ad omnes alios Judices, etiam ordina-  
rios, imò & arbitros; ita, ut compromissum quoque in

arbitros per lapsum triennij non expiret, sed ad similitudinem Judicii, eius instantia sit perpetua, *Arg. l. 1. ff. de recept. arbit. Barb. in Collect. in cit. c. pen. n. 2. § 3.*

Notandum secundò. Quamvis aliqui DD. putent, in casu cit. c. pen. h. t. ideo non perijisse instantiam Judicii, lapsu triennij, quia subterfugiis, & cavillationibus Rei conventi, scilicet Communitatis, causa est ultra triennium prorogata; ideoque non debuit ex dolo suo commodum reportare; neq; etiam per hanc decretalem videtur correctà constitutio civilis in cit. l. *Properandum*; cum lis non fuerit contestata in casu dicti c. pen. contrarium tamen verius est, nempe de Jure Canonico indistinctè perpetuari instantiam Judicii, etiam post triennium. *Hofsiens. in cit. c. pen. V. Subterfugia. & Abb. n. 9.* & quòd in casu illius c. lis fuerit contestata, patet ex eo, quia decisio etiam causæ fuit prorogata usque ad triennium; adeoque etiam cognitio; & jam processum erat in negotio principali, quod supponit litem contestationem esse factam, quæ est principium causæ. *Gl. fin. in cit. c. pen. & Hofsiens. ibid. V. Perijisse.*

CXXVII. Ceterum illud hic addendum, quod Jure novo Concilij Tridentini sess. 24. c. 20. de reform. statutum habetur, ut causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur, & saltem infra biennium à die motæ litis terminentur; alioquin post id spatium, liberum sit partibus, vel alteri illarum Judices superiores aliàs competentes adire, qui causam in eo, quo fuerit, statu, assumant, & quamprimum terminari curent. Id verò intelligi debet, dummodo per Iudicem ordinarium steterit, quò minus, intra dictum tempus, causam definierit; nam alioquin, si per Iudicem non stetit, partes alios superiores Judices adire non possunt, juxta declarationem Congreg. Concil. apud *Io. Gallemart. ibid. n. 3.* Porro per hoc decretum Concilij terminus, aut tempus causis non præfigitur, quia elapso biennio acta non pereunt, nec irritantur, sed partes, si volunt, possunt litem prosequi coram eodem Ordinario, vel Judices Superiores adire: adeoque ponitur solum ille terminus Judici inferiori ad causam intra illum finiendam, *Zerol. in praxi Episc. V. Instantia. not. 4. Barb. in cit. c. pen. n. 3. h. t.*

CXXVIII. Assertio 3. Alio modo perimitur instantia per absolutionem ab observatione Judicii, ut, si in progressu litis appareat, quòd intentio, ac petitio actoris in libello ineptè proposita fuerit: tum enim reus absolvi debet ab instantia tantum huius Judicii, eaque dissolvi, reservato tamen actori Jure iterum agendi, & libellum, ac petitionem aliter, & aptè formandi; prout habetur in c. *Examinata. 15. h. t.*

» Nam ortà controversià inter Mathæum de Riparia, virum nobilem, & quosdam milites Campaniæ super Jure patronatûs cujusdam Ecclesiæ, communi partium consensu, Ecclesia illa (seu potius jus patronatûs illius) sequestrata fuit apud Vicedominum (seu Vicarium) Episcopi Salinensis. Postea Nobilis ille actionem in Judicio instituit contra milites, per quam jus patronatûs sibi vendicavit, & restitui postulavit: lite autem contestatâ, produxit testes, qui deponebant, quòd dictus Nobilis, eo tempore, quo Vicarius Ecclesiæ tanquam sequestratam accepit, jus patronatûs Ecclesiæ illius pos-

federit. Causâ hac delatâ ad Papam Innocentium III. is respondit, intentionem (ut patet ex sequentibus) & petitionem, seu actionem, quam Nobilis ille contra milites instituit super jure patronatûs, incongruam, & ineptam repertam fuisse: quia, cum per testes à Nobili productos probatum fuerit, ipsum jus patronatûs possidere, non potuit rei vindicationem intentare, nec restitutionem sibi fieri, postulare. Quare Papa pronuntiavit, intentionem ipsius, seu petitionem non subsistere, militisque absolvit à petitione eiusdem Nobilis, ita tamen, ut, si postea congruentem, & aptam actionem instituere voluerit contra milites, nihilominus ipsi respondere teneantur.

CXXIX. Pro intellectu hujus c. Notandum primò. Sequester hic dicitur ille, apud quem, communi consensu partium litigantium, res, de qua lis est, deponitur, ut videlicet ipse eam tamquam depositarius interim detineat, & custodiat. *Gl. hic. V. Sequestratam*; & habet locum hujusmodi sequestrum, seu sequestratio, non tantum in rebus corporalibus, sed etiam in juribus incorporalibus, seu spiritualibus. *Innocent. hic V. Sequestratam*; ut in casu huius c. jus patronatûs fuit sequestratum, seu depositum penes Vicarium Episcopi, qui, si Ecclesia interim vacaverit, Rectorem, seu beneficiatum ad illum præsentare poterit; ut docet *Innocent. hic in princ. & Imol. n. 1. 1.* quia hic & nunc non est alius, qui præsentare possit: cum enim dubium sit, ad quem spectet jus præsentandi, neutra pars litigantium, pendente lite, præsentare potest. Aliud est in creditore, quia tunc debitor tanquam dominus præsentare potest. Et quamvis talis sequester non sit patronus, est tamen loco patroni, sicut si quis castrum aliquod, cui jus patronatûs annexum est, nomine hypothece possideat, ita, ut relicta ipsi sit potestas præsentandi, non est patronus, sed loco patroni; ut docet *Io. Andr. in c. Cum Bertoldus. 18. n. 22. de sent. & re jud.* Contrarium tamen tenet *Hofsiens. hic V. Ecclesiam. & Abb. n. 15.* quòd sequester interim præsentare non possit, quia non colligit fructus suo, sed alieno nomine. Verum hoc aliò pertinet.

An verò sequester, apud quem res, durante lite, est deposita, eique tradita, fiat verus possessor rei, dubitatur? Affirmat *Felin. hic n. 10.* quando sequestrum est voluntarium, id est, non jussu Judicis, sed partium voluntate factum, & lis est de possessione, quia duo de illa inter se certant: tunc enim nihil interest partium contententium, an possideat sequester, an non: si verò lis sit de proprietate, ut in casu hujus c. ad quem pertinet jus patronatûs, tum per traditionem rei factam sequestro non transfertur in illum possessio, quia in dubio non est præsumendum, quòd traditio rei fiat animo amittendi possessionem illius, nisi ex causa aliqua extrinseca aliud appareat; qualis hic nulla est: quia is, qui rem litigiosam possidet, & alteri tradit, præsumi potest, ac debet, quòd potius custodiæ causâ apud ipsum deposuerit, eique tradiderit, qui alieno nomine eam possidet, non autem animo perdendi possessionem, *Felin. c. l. idque sumitur ex l. Interesse. 39. ff. de acquir. poss. ubi dicitur, tum deum per sequestrationem amitti possessionem, si res fuerit apud aliquem deposita, idque aperte probatum fuerit, non autem, si custodiæ causâ deponatur. de quo plura infra à tit. 17.*

CXXX. Notandum secundò. In casu hujus actor, si nobilis ille, instituta rei vindicatione, quasi dominium juris patronatus sibi vindicavit, & petijt, ut illud sibi restitueretur, cum tamen ipsemet, & non adversarij, siue milites illud possiderent; ut constabat ex depositione testium: nempe Nobilem illum, cum Ecclesia in sequestro daretur Vicario Episcopi, fuisse, & mansisse in possessione juris patronatus, quippe cum solum custodiam illius in sequestro transierit: rei vindicatio autem institui non potest, nisi ab eo, qui cum jus domini, vel quasi, habeat in re, non tamen eam possidet: ideoque ab eo, qui eam possidet, vel dolo desijt possidere, vel saltem eam detinet, v. g. ut commodatarius, vel depositarius, sibi restitui petit. Quare cum in casu hujus c. actor, scilicet Nobilis ille ineptè instituerit rei vindicationem contra milites, qui jus patronatus nec possidebant, nec detinebant, & sibi restitui postulaverit rem, quam ipsemet possederat, ideo Papa adversarios, seu milites ab instantia Judicii, & petitione actoris absolvit, ita tamen, ut, si actor postea congruentem, & aptam actionem instituerit coram eodem Iudice, audiendus sit, quia per istam sententiam absolutoriam ab observatione Judicii, propter libellum malè conceptum, siue petitionem ineptè factam, quæ non est definitiva sententia, sed interlocutoria tantum, non deciditur, sed definitur rota causa, aut ea perditur, sed tantum perimitur illa instantia; ac proinde nihil obstat, quò minus iterum de novo Judicium inchoari, & causa principalis denuo cognosci, ac definiri possit. *Abb. in cit. c. Examinata. n. 5. & 22. h. t.* ubi addit, id intelligendum esse, si Iudex absolvat reum, propter libellum malè formatum, vel propter absentiam actoris: secus, si absolvat, quia solvit, vel quia actor non probavit; nam tunc esset sententia definitiva, nec audiretur amplius actor, obstante exceptione rei iudicata: in rota causa.

CXXXI. Notandum tertio. Si in principio litis appareat, libellum esse ineptum, aut malè conceptum, tum statim ante litis contestationem ex officio Iudex rejicere eum debet. *Arg. c. 1. de offic. Vicar. nec admittere probationes, vel ad alia procedere: alioquin verò, si non appareat in principio de vitio libelli, vel petitionis, admittere libellum debet Iudex, nam in dubio pro intentione actoris præsumendum est, ut eius intentio, & actio subsistere possit. l. Si quis. 66. ff. h. t.* ubi dicitur, si quis intentione ambigua, vel oratione usus sit, id, quod utilius ei est, accipiendum est. *Gl. fm. in cit. c. Examinata. h. t. & ibid. Innocent. n. 2. de Abb. num. 21.* Ex quo inferitur, si de intentione actoris, siue causâ petendi constet; vel probabiliter præsumi possit, quam is actionem instituere velit, etiamsi per errorem aliam actionem expressit in libello jam recepto; non ideo post litis contestationem, ob tale vitium libelli vitiatum Judicium. Ut si v. g. in libello dicatur; *Peto hunc fundum, quia ad me pertinet iure domini, & instituo actionem ex locato*, tum si probatum fuerit dominium, obtinebit causam actor, quia ex causa petendi constat, quam actionem intentare voluerit, scilicet rei vindicationem; quamvis per errorem eam nominarit actionem locati: neque verò ad substantiam libelli requiritur, ut in eo exprimat nomen actionis, c. *Dilecti. 6. h. t.* cum ergo, si nomen actionis non fuisset expressum in libello, Judicium

Tomus II.

nihilominus tenuisset; ideo etiam, si per errorem alia actio, quam apta, & congruens fuerit expressa, valebit Judicium: idque procedit saltem ex æquitate, secundum quam potius inspici debet, quod in veritate agitur, quam quod per errorem exprimitur; & veritas rerum erroribus gestarum non vitiat; ut dicitur in *l. Illicitas. 6. §. 1. ff. de offic. Præsid. Abb. in cit. c. Examinata. n. 19. & 20. h. t.* Neque hoc c. obstat, quia loquitur, quando intentio actoris est inepta, vel actio, & intentio simul. Similiter in *l. 1. ff. Si mentor falsum modum & c.* non solum fuit actio inepta, scilicet locati, expressa, quæ in illo casu non competebat, sed etiam intentio actoris, & causa petendi inepta fuit expressa, scilicet quòd locaverit, *Gl. ibid. v. Ex locato.* Quare, si ab initio opponeretur contra ineptitudinem libelli, in quo nomen ineptæ, & non competentis actionis est expressum, & actor nollet corrigere errorem, repelleretur ab agendo, quia apparet, quòd etiam intentio ipsius sit inepta. *Abb. cit. l.*

Atque hinc etiam colligitur, quòd non ideo in casu hujus c. petitio actoris, nempe Nobilis illius, rejecta fuit à Papa, quia instituit rei vindicationem contra milites ad restituendum Ius patronatus, cum debuisset intentare actionem confessoriam, vel negatoriam, quæ sunt actiones reales, quæ competunt pro rebus incorporalibus, seu juribus, v. g. pro servitutibus realibus prædiorum, per quas actor petit, ut declaretur, servitutum sibi in fundo competere. *§. Equè Instit. de actione.* vel Jus patronatus sibi competere: rei vindicatio verò solum datur pro rebus corporalibus vindicandis. Sed hoc non habet hic locum, quia Papa non rejecit petitionem actoris in casu hujus c. eò quòd errarit in nomine actionis, instituendo rei vindicationem pro actione confessoria, vel negatoria: nam in primis omnis actio realis, latè loquendo, potest, & solet appellari rei vindicatio, etiam quæ instituitur pro repetendo iure patronatus, vel similibus; ut colligitur ex *c. Cum venerabilibus. 6. in fine de except.* ubi dicitur, quòd Episcopus vindicabat Ecclesiam, ratione Iuris Episcopalis sibi competentis in illa, licet dominium illius Ecclesia non haberet, *Abba. in cit. c. Examinata. n. 17. h. t.* Præsertim, quia de Jure Canonico non attenditur, quo nomine appellentur, vel exprimantur actiones; ut patet ex *c. Dilecti. 6. h. t.* Vera igitur ratio, cur in casu hujus c. rejecta sit petitio actoris, est, quia erravit in intentione; petebat enim, instituta actione reali contra adversarios, ut ipsi restituerent Ius patronatus, quod tamen ipse actor possidebat, non adversarij. *Abb. c. l. n. 18.* ubi addit, quòd actor, siue Nobilis iste potuisset agere iudicio possessorio: *uti possideris*, siue retinenda possessionis contra milites; siquidem ipse possidebat Ius patronatus, nec per sequestro illam amisit.

CXXXII. Postremò, ex dictis *h. t.* colligitur, quando Judicium reddatur omnino nullum. Veluti

1. Ex incompetencia Iudicis; de quo plura *rit. seq.*
2. Ex persona actoris, vel Rei, qui in Iudicio agere, vel conveniri non potest; de quo *suprà sec. 1. §. 2.*
3. Ratione rei, quæ non potest tractari sub tali Iudice; de quo *suprà sec. 2. §. 1. & 2.*
4. Ex defectu citationis. *§. Fin. Instit. de pen. rem. litig. c. Ecclesia. 10. Junctà Gl. v. Non conventi de Constit.*
5. Ex defectu, & omissione substantialium solemnitarum, quæ requirun-

quiritur ad processum Judicium ordinarium, de quo *supr. sec. 1. §. 1. n. 7.* Vel ratione perversi ordinis, sive ob non servatum ordinem juris: ubi tamen distinguendum est, nam quidam ordo pertinet ad

substantiam Judicij, qui, si pervertatur, redditur Judicium ipso Iure nullum: quidam verò pertinet ad justitiam Judicij, & hic non vitiat ipso facto Judicium. *Abb. in c. Exhibita. 19. n. 12. h. t.*

## T I T V L V S II.

## DE FORO COMPETENTE.

Quia Jurisdictio, seu fori competentia totius Judicij contentiosi fundamentum est, ita, ut eâ deficiente, Judicium sit nullum; ideo, priusquam procedatur ad ad alios Judicij actus, seu partes, ante omnia dispiciendum est, an Judex sit competens, sive jurisdictione præditus; & an in loco competente, sive jurisdictioni suæ subiecto jus dicat. Quare post tractatum de iudiciis in genere, agitur hoc Titulo de jurisdictione, seu foro competente; cui similis Rubrica respondet in Sexto, & Clementinis.

## S E C T I O I.

DE FORO COMPETENTE IN genere, & varijs modis, quibus constituitur forum competens.

## §. I.

Quis dicatur Iudex competens, & quod forum competens?

I.



ASERTIO I. Judex competens dicitur is, cujus Jurisdictioni subijcitur reus, seu coram quo actio, & lis proponi, atque institui, & finire potest; ut ex dictis patebit. Forus verò, seu forum (quod ex primæva nominis impositione, significat locum publicum, ad quem res venales deferuntur; ideoque postea translatum est hoc nomen ad forum Judicium, ad quod litigantes deferunt suas controversias) in proposito significat imprimis locum, in quo lites, & Judicia exercentur, seu ubi quis conveniri potest. *c. Forus. 10. infr. de V. S.* ubi dicitur: Forus est exercendarum litium locus, à fando dictus, sive à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit. Et hoc forum, aliàs etiam Tribunal, vel Auditorium, vel etiam respectu Papæ, aut Judicis Ecclesiastici, Consistorium vocatur; ut notat *Hostiens. in summ. h. t. n. 1. §. 2.*

2. Forum etiam significat totum territorium, in quo quisque Iudex habet Jurisdictionem. *l. Pupillus. 239. §. Territorium. ff. de V. S.* quo pacto etiam tota Diœcesis dicitur territorium Episcopi, *c. Omnes. 10. Caus. 16. q. 7. Hostiens. c. l. Abb. Panorm. ad rubr. h. t.* Putat tamen *Hostiens. c. l.* quòd forus in masculino genere, significet locum, in quo jus redditur, juxta *c. Forus in princ.* Forum verò in neutro genere ponatur pro territorio cujuslibet Judicis, intra quod Ius reddere, seu dicere potest, juxta *cir. l. Pupillus. §. Territo-*

*rium.* Et hanc significationem præfert alteri *Abb. ad Rubric. h. t.* eò quòd hoc loco non agatur de competentia fori, respectu loci, ubi Jurisdictione, seu Judicium exercetur, sed de competentia respectu Judicis, qui Jus dicit. Verùm hæc differentia fori in genere masculino, & neutro grammaticalis solum est, nullum habens fundamentum in Iure, quia *in cir. l. Pupillus. §. Pen.* non dicitur, quòd forus sit territorium; sed tantum ibi exponitur, quid sit, & dicatur territorium; quamvis interdum forum, & territorium promiscuè accipiantur, quia unum est cum altero connexum.

Itaque propriè loquendo, forum competens vocatur Tribunal Judicis, cujus Jurisdictioni reus subijcitur, sive in quo reus ab actore conveniri debet, aut potest; nam actor regulariter sequi debet forum rei. *c. Si Clericus. §. c. Cum sit. 8. h. t.* quia hic non agitur de competentia Judicis in abstracto, sed in concreto, prout ejus Jurisdictione est restricta ad certum locum, in quo reus conveniendus est, & Jurisdictione exercenda, sive à Iudice Jus dicendum: adeòque forum dicit, & importat tum Jurisdictionem, quæ exercetur in litibus dirimendis; tum etiam locum, seu Tribunal, in quo lites dirimuntur, ita, ut forum sit aliquid aggregatum, & compositum ex utriusque, *Barbos. in Collectan. in princ. h. t. n. 4. §. 1.*

II. Ass. 2. Judex alius est simpliciter competens, quem scilicet partes litigantes adire possunt, ac debent, tanquam ad ordinarium Judicem loci, seu territorij, in quo Judicium exercetur. Sic laicus necessariò conveniendus est apud Iudicem loci, in quo domicilium habet, qui est Iudex ipsius simpliciter competens. *l. 2. ff. Si quis in Ius vocatus §. c. l. pen. ff. de Iuris. Barb. in princ. h. t. n. 11.* Quales sunt Iudices ordinarij constituti à lege, Principe, vel consuetudine, ut præsent univertali Jurisdictioni, alicujus civitatis, vel Provincie, de quibus *supr. l. 1. tit. 31.*

Alius verò Iudex est per se incompetens, potest tamen partium litigantium consensu prorogari ejus Jurisdictione, & ita competens Iudex fieri. *l. 1. §. 2. ff. de Iudic.*